RERVM CHYMICARVM EPISTOLICA FORMA AD PHILOSOPHOS ET MEDICOS QVOSDAM IN GERMANIA *excellentes deſcriptarum*

Liber primus,

IN QVO TVM RERVM QVARVNDAM naturalium continentur explicationes ingenioſa; tum CHYMIAE *diſciplina pyronomica, ſcevaſtica & vocabularia cum quibuſdam inter arcana habitis declarantur fideliter.*

AVTORE ANDREA LIBAVIO MED. D. Poeta & Phyſico Rotemburgo tuberano

ὐκ ἄνευ θεοῦ ϗ φύσεως.

Ecce veſtibulum Chymiæ.



15 95

Cum Priuilegio Caſ. Maieſt. ſpecial. ad decennium.

FRANCOFVRTI,

Excudebat Ioannes Saurius impenſis Pe[illegible]i Kopffii.

12. 14. I 14

NOBILITATE, GRAVITATE ET PRVDENTIA PRÆCLARIS VIRIS

& D.D. Conſulibus & Senatoribus inclytæ Reip. & Imperialis ciuitatis Ratiſbonæ, D.D. ſuis officioſè colendis,

ANDREAS LIBAVIVS M. D. ET POETA SVMMAM felicitatem.

MEDICINAM *eſſe artem præclaram quidē admodum & præſtantem, ſed quæ propter ignorantiam eorum, à quibus exercetur, & ob vulgi ruditatem iudiciumq́; ſiniſtrum, dum tales pro Medicis habet, & vnumquemque cum herbula, & verborum inani de viribus eius ſtrepitu occurrentem medica ſcientia honoreq́; ornat, omnium artium longè viliſſima, abiectiſſimaq́; cenſeatur, Conſu-*

les & Senat. Nobiliſsimi, in LEGE *ſua ſcriptum pridẽ reliquit Hippocrates. Idem infortunium experiri* CHYMIAM, *quæ eſt ſcientiarum naturalium longè præſtantiſsima, proclamatum eſt paſsim. Neſcio enim qua infelicitate euenerit, vt, cum olim in Regum & Principum ſtatim à primis inuentoribus poſſeſsione, & à ſummis Philoſophis exculta fuerit, nunc à nemine fere attendetur, niſi qui deſerta functione ſua turpi inhiat lucro, otioq́; abundare quærit: populus item adeò deprauata ſit cenſura, vt nullum chymicum exiſtimet, niſi qui vitioſiſsimi Paracelſi inſtitutum & veſtigia ſequitur, eſtq́; tum mendax deploratus, tum impoſtor nefarius, & in veterem medicinam iniurius. Nemo tamen prudentum eſt, quin intelligat immerito artis id fieri. Dum enim cum improborum hominum flagitioſo conatu conſpirauit plebis veſania, quàm perinde de artibus iudicare fas eſt, ac de Muſica harmonia cuculũ, arte immuni ad ſuos autores referunt crimina. Itaque etiam in medicinæ complexus recepta eſt, iudicatumq́; ab intelligentibus chymico apparatu medendi ſcientiam, humanamque ſalutem carere non poſſe. Non defuerunt*

etiam

etiam ſummi ingenii & exiſtimationis laudatiſſimæ Viri, qui in ea addiſcenda, amplianda ornandaque & illuſtranda plurimum collocarunt operæ. Sed & inter optimates inuenti ſunt, qui & præclarè de ea ſtatuerunt, ſuisq́; ſumptibus & liberalitate ipſam ad maiorem excellentiam prouexerũt. Collegit Hieronymus Rubeus, Philoſophus & Medicus Rauennas non tantũ vetuſtatis, ſed & dignitatis chymiæ plura argumenta, inter quæ & hoc eſt, quod referente Albucaſe REGES *Abarach deſtillationis arte plurimum ſint delectati, quodque Robertus Neapolis, & Odoardus Angliæ Reges cum aliis in ſummo precio habuerint eius profeſſores. Recenſet idem, multos Italiæ Principes, qui magna cum voluptate in iſto ſtudio ſint verſati. Nefas eſt tantis heroibus quicquam quod ſordes plebeculæ ſapiat aſſignare. Splendorem itaque ſuum ars iſta in veritatis concilio, & ampliſſimæ dignitatis theatro conſeruauit. Quantum noſtris temporibus in Germania noſtra abſumptum ſit in ea percolenda operæ, nemo ignorat, niſi qui faſtos rerum & annales. Taceo Cratones, Zvingeros, Geſneros aliosque qui*

ſummam eruditionis laudem & viui ſunt adepti, nec amiſerunt defuncti, quot Regum, Principum heroumque familiæ; quot reſpublicæ eam ſunt amplexæ? Nec ferè gens in vniuerſa nobilitate eſt, quæ non aliquid chymicæ ſcientiæ foueat, certusque precioſarum operationum formulis tanquam patrio gaudeat theſauro. Patet itaque longè lateque huius artis honor & amplitudo. Inueniuntur quidem in phyſicorum medicorumque ordine aliqui ſolertiæ tenuioris, qui quod ipſi ob imbecillitatem aut fortunam ſuam nequeunt aſſequi, cum vulgo non erubeſcant imperito calculo condemnare. Sed tangit eos grauiſſimum Iacobi Syluii Ambiani philoſophi, medici & chymici ſummi iudicium, quo inter Idiotas & receptarum compilatores habentur, vtpote quibus aliquid egregii ſapere ſit denegatum. Occurrunt etiam paſſim ex veſani Paracelſi fauilla enati ſtelliones, & ſcarabæi, qui cum inſanis auri pollicitationibus in aulas Principum & magnatum ſeſe ingerunt, & dum deprehenduntur vaniſſimi mendaciſſimique aliquid labis veriſſimæ caſtiſſimæque arti videntur inurere. Vnde & in patibu-

tibulis oſtenduntur Parachymicorum vertices, & eculei tormentaque, aut turpes fugæ, ſceleratæque defectiones in opprobrium artis producuntur. Sed viri ingenui ſapientesque ſemper diſcreuerunt inter hos, qui ſibi artis titulos & honores perperam rapiunt, vſurpantque, & inter legitimos modeſtosque eius Profeſſores. Plerunque etiam ex cantu vitaq; genere indicantur. Proiiciunt enim impoſtores illi ampullas καὶ ἀμαξιαῖα ῥήματα, & profugi ex officina Vulcaniam irrepſerunt. Qui periurus fuit aurifaber qui aſtrologus mendax, & Calendariographus, qui paſtor, imò mercenarius peſtilens & fugitiuus, qui Organicen contaminatus & de lerna hac ſimiles, vbicunq; de aureo ramuſculo ſomnium viderũt, & ſcedulã myſticã philoſopho ſurripuerunt, aut ab impoſtore impetrarũt, aut Germaniſmos Paracelſi perfunctoriè limis aſpexerunt oculis, poſſuntq; iam aliquid de filtris & aliis balbutire, chymicos ſtatim præ ſe ferunt, & Carboniperdæ poſt ſuos furnulos fiunt, quicquid inde per luſum exiit, id è veſtigio pro eſſentia chymica obuiis imperitiſque oſtentantes, & per multorum mortes iter ad expe-

rientiam facientes. Quaſi verò tam plebeium artificium foret chryſurgia, vt eam ſutor, cui non rarò magnæ eſt induſtria, calceum aut ocream benè periteque ſuere, primo ſtatim aſpectu queat addiſcere. Eſt quidem chryſopœia, ſiue verum aurum efficiat, ſiue vero ſimilimum, aut excellentius metallum, quemadmodum conteſtantur vno ore philoſophorum & artificum plurimi, nec deſunt hiſtoriarum experientiæque adminicula, neutiquam abſona à potentia naturali & veritate. Aſtipulatur enim illi & ratio. Itaque nec de hac chymiæ parte eſt deſperandum. Sed è mechanica prorepentes, & officinarum deſertores, qui magnates emungunt, pecunia, illosque per fumos Parachymicos circumſcribunt, eam callere probeq́; exercere poſſe, qui factum eſt, vt vnquam ſit creditum? Vtinam perſuadere Principibus poſſem vt ab eiuſmodi omnibus ſeſe abalienarent, qui grandia magnis promittunt verbis, cùm tamen res ipſa ſumptus quidem paucos (Nam Arnoldus quinquaginta coronatis conſtare totum opus aſſerit; theoremata turbæ præfixa non vltrà auri puri vnciam requirũt, vanitatis con-

uicto

uicto libello quodam, quem ad autorem Paracelſum referunt, in quo quatuor beſſes ſeu marcæ exiguntur) poſtulet, at acumen Philoſophorum & rerum naturalium peritiam veram eamq; non exiguam, qualis in ſutrinæ deſertores cadere non poteſt. Veſtram ego amplitudinẽ, Viri Conſultiſſimi, ſicut præclarè de vera Chymia ſentit, & ad imitationem magnorum Regum & Rerumpublicarum laudatiſſimarum profeſſores eius nõ auerſatur, ſed fauore amplectitur: ita ab impoſtoribus eſſe alieniſſimam, hancq; animo ſententiam deliberatam circumferre, non eſſe honore ſuo ſpoliandam artem, quãquam à fauillis Paracelſicis peſſimè tractetur, perſuaſum ſtatutumque animo habeo, Equidem elaboraui in ea, quantum per reliqua ſtudia licuit. Sed quo amplius eam verſo, eò arridet magis adeo, vt ad formam perfectarum ſcientiarum accõmodare præcepta eius, & Ariſtotelea artium conſtitutione methodoq; Ramæa illuſtrare animum induxerim. Vidi nempe, quàm obſcurè, perplexè deprauateq; eam deſcripſerit Paracelſus. A veris Philoſophis membratim eſt explicata diſperſimq; tradita. Nam alicubi præcipitur de ſola Chryſurgia. Alicubi de ſola de-

la deſtillatoria. Quidam varia congeſſerunt opera, omiſſis præceptis catholicis, & operationibus generalibus. Lullius & Vlſtadius vnam quintæ eſſentiæ deſtillationẽ cum elementorum ſeparatione attigerunt; reliquum penè totum eſt infuſio ſeu extractio quædam. Addidit Vlſtadius etiam de lapide quædam, & Lullius aliis libris de eo eſt copioſus. Paracelſus in Archidoxis præceptiones ſpecialium operum eſt molitus, ſed ſuo more ἀκριβέως perplexè & inconditè. Quidam pollicitus eſt Alchemiam magnã. Vidi librum primum. Indignus eſt tanto hiatu. In omnibus quos conſpexi methodum integræ artis, & euidentiam deſidero. Conſilium itaque cepi, quoniam eiuſmodi labor non videbatur nec eſſe vnius hominis, nec debere eſſe, de adeundis viris doctis & amicis per epiſtolas, quibus animum & inſtitutum non declararem tantum & ſignificarem, ſed & facta quaſi σκιαγραφία operis ita proponerem, vt iudicare facilè rem poſſent, & ſi quid ipſi per experientiam cognouiſſent, addere. Vbi manus admota eſt, euaſit in iuſtum commẽtarium opus, quod ita edere quomodo alij epiſtolas virorum doctorum conſueuerunt

longè apparebat conſultius præſtabiliusque quam ſingulis mittere literas ſingulas. Ita enim diffuſa accepiſſem iudicia, & fortaſsis ea ſcripſiſſem quibuſdam, de quibus alius potuerat iudicare rectius, ne quid de mittendi difficultate dicam. Nunc vno volumine omnes poſſunt intueri conſilium omne. Iuſtius itaque libro res eſt comprehenſa. Verum enimuero non facilè conſentiunt multi, niſi vno quodam colligati vinculo, & ad concordiã in vno redacti. Cũ itaq; ab vnius principatu pendendũ foret, quaſi perſpectas omnium mẽtes ad veſtrã amplitudinẽ, Viri nobiles, adduxi, quã, vt autoritate & tutela ſua hoc opus cõplecti velit, ſubmiſſe rogo. Decet Statum Imperij, & Remp. nobilem iſte labor. Vbi enim Ariſtocratia cum Monarchia, laudatiſsimis nimirum gubernationũ politicarum ſpeciebus ad formam optimi Imperij iucũda contemperatione conſpirauit: ibi neceſſe eſt, ſicut in alia optima quæq; redundant, ita quoq; literis præclaris ſuum eſſe præſidiũ. Et fouet vobis præclare conſtituta Reſpub. non tantum, vt cognoui à fide dignis, alios viros induſtrios à Chymicarum contemplationum operationumque ſtudio non alienos, ſed & MARTINVM

RVLANDVM, *Martini Chymici ſummi, & optime de ea arte, vt & de re medica meriti filium; cuius tum adhuc in academiis verſantis noui indolem præclarã, tum ſummis aucti honoribus & in Repub. veſtra laudatiſſ. publica auctoritate medicinã facientis, & eruditionem & dexteritatem probo. Quod mihi certiſſimo eſt argumento veræ chymiæ ſuum apud vos eſſe non ornamentum tantum, ſed & perfugium. Eſt iſtud laudis inſtar conſummatæ; eſt autoritatis incomparabilis, tanquam ad portum tutiſſimum ex importuno mari ad vos ſe recipere, liberalium honeſtorumque ſtudiorum olim in Regum & Principum vlnis acquieſcẽtum familiã, nec repulſam ferre, ſed gratiſſimo foueri cõplexu etiã inter tumultus & diſſidia mũdi. Vos videbãtur eruditorum deſignare mentes; vos conſecratũ dignitati veſtræ hoc opus accipite, vos honore veſtro inſcriptum amplectimini. Vos decet, ſicut aliis rebus eſtis celebres, ita arcanæ chymiæ patrocinio non eſſe ignobiles. Non itaq; dubito, quin gratus veſtræ amplitudini hic meus ſit futurus conatus. Multæ ſunt Reſpub. quæ non tam bellicarum, & iuſtitiæ artium fama celebrem ſibi quærunt memoriam,*

riam, quam eruditorum virorum frequentia & ſtipatione. In hoc ipſum ſumtus expendunt non contemnendos. Veſtra ſitne ab iſto inſtituto aliena? Imo certare eam cum plerîſque, teſtimonio eſt eruditiſs. in omni genere ſacræ Philoſophiæ virorum numerus apud vos copioſus. Eò itaque confidentius veſtræ grauitati dignitatiq́; hunc meũ laborem offero, quo id apud me eſt certius. Valete Viri Nobiles & Conſulti, & fœliciſſima gubernatione Rempub. perpetuo poſſidete florentiſſimam. Pridie Calend. Auguſti Anno CIↃ. IↃ. XCV. *Rotemburgi ad Tubarim.*

VARIA iudicia ſubeunda ſunt illi, qui publico committere labores ſuos, vulgarique ſubiicere cenſuræ ſuſtinet. Placuit de aliquibus in veſtibulo lectorem monere, ne in primo ſtatim limine aliquid ſiniſtri de hoc opere ſuſpicando impingat. Principiò eum in fronte huius libri vocabulum CHYMIÆ conſpicies, noli putare, lector, mẽ τὴν παρεγκελσίην aliquoties iam exploſam, poſtliminio amplecti & profiteri. Longe diuerſæ res ſunt Paracelſia & Chymia. Non eſt honeſtum, artem caſtiſſimam puriſſimamque ab impuriſſimo homine, & veritatis deprauatore denominari. Veterum ſequor inſtituta. Hęc coniuncta cum Philoſophorum recentium, non Paracelſicorum, ſed Peripateticorum, Hippocraticorumq; obſeruationibus explicata methodicè, & illuſtrata perpetuitate præceptorum velim. Si item quid inuenies, quod eodẽ modo præcepit Paracelſus, aut etiam eius nomẽ productum conſpicies; id non huius autoritate niti, ſed veritate veterumque & recentium antè dictorũ philoſophorum cogites. Verum propter ſe amplector, & optimè ſentientium calculo illuſtro. De Paracelſo perinde eſt, ſiue neget quid, ſiue affirmet. Deinde me forma epiſtolica vſum potius quã ſcientifica inſtructione, & non tam præcepiſſe, quam conſuluiſſe, ne mireris. Non v-

nius

nius eſſe debere iudicaui, ad quod requiritur opera plurium. Si etiam has modeſtiæ partes aſſcripſeris, ex officio feceris. Si præterea in autorum es verſatus lectione, & veram tradendarum ſcientiarum leges noſti; non arbitrabere, me actũ agere, & id quærere, quod pridem ante ſit abſolutum perfectumq́;. Lege hæc noſtra, intellige & iudica. Vbi cum reliquis contuleris, diſcrimẽ agnoſces. Deſiderabis inſuper, opinor, aut ſaltem expectabis commentationem particularem de oleis, aquis, calcibus & reliquis: Quin inhiabis totus aureæ arti. Ego verò tibi ſpem fecerim etiam iſtorum, quantũ fas eſt, de ſingulis præcipere. Tu fac vt æquitate in iudicando vtaris. Si DEVS vitam prorogauerit, accipies & de illis. Sin geſtit tibi animus maturius cognoſcere, adire te iubeo viros in ea re præclaros, eorumq́; monumẽta conſulere. Præſtitit autem in chryſurgia laudabilem operam Thomas de Aquino ad fratrem Reinaldum; Alanus item & Bernhardus Comes ad medicum Bononiæ. Nihil euidentius in eo genere eſt Roſario Arnoldi, turba philoſophorum, Richardo & aliis. Poteris & Paracelſi tincturã quandam & manuale percurrere. Nam in his ſunt præcepta veterũ. Iohan Dee Londinas & Geberus coruum ludunt hiantem. Quod ſi te illos quoq; intelligere non poſſe conquerare; vtere conuerſatione erudito-

tum,

rum. Si gratus eris, poteris informari, ſed aſtrictus artis legibus. In deſtillatoria elaborarunt multi. Diligens admodum eſt Iohan. Baptiſta Porta; & Hieronymus Rubeus. Suppeditat aliquid Paræus, Matthiolus, cum magna copia recentium. Inter veteres eſt Geberus, & alij quibus ob Paracelſi memoriam addo Lullium de quinta eſſentia, Vlſtadium, Albertum & coætaneos. In variis artis partibus eminet induſtria Geſneri, Cratonis, Zvingeri, Guintherij, Euchiontis, Geberi, &c. quibus adiungi poteſt qui nuper ſcripſit, Penetus, &, ſi forte alios quoque Paracelſicos deſideres, Dornæus, Turneiſſerus & ſimiles, quanquam vix hauries lucem è tenebris. Si praxin expetis, adi magnas illas Reſpublicas, Norimbergicam, Brunouicenſem, Auguſtanam & alias. Magnæ ſpei cõfugium eſt in familia Ranzouiana, & caſtro Vraniburgo. Habent & aliæ ciuitates principatusq; præclara exercitia, à quibus vſus artis eſſe poteſt. Ego in hoc occupabor, vt quæ ratione & experientia optima ſunt inuenta iudicataq; colligam, & ad principia naturalia & artis exigam, additis parachymicorum notis, & informatione ſcientifica. Quod ſi interim eſt, qui hęc laudabiliter expedire poſſit, eum vt hoc faxit rogatum velim, tantum abeſt vt pręreptum quid putaturus ſim, aut inuiſurus. Eſt autẽ is quoq; labor neceſſarius. Non enim cogemur,

mur, vt hactenus, pro auri eſſentia vorare cinabarim; pro ſale veneris, vitriolum cupri, pro oleo ſpiritum & aquam, pro auri præcipitato turbith vulgare, &c. acceptare ſi exterminatis erroribus veræ præparationes ſecundum demõſtrationes ſcientificas fuerint in lucem protractæ. Habebũt & tyrones, in quo certo acquieſcãt, ne in impoſtorum ſcopulos incidãt, & magna pecunia redimant nugas maiores. Vtinam verò ad academiarum profeſſionem ſyncerum artificium vocaretur. Si quis hodie periculum facere velit, eum veſanos Paracelſitas conſulere oportet, aut aniculas, aut aurifabros inertes deſperatoſque, aut ſeplaſiæ famulos rudiſſimos ſimiliaq; artis honeſtiſſimæ piacula. Apud liberales profeſſores omnis eius vox obticuit. Ars quæritur apud inertiã, ſapientia in proſtibulo veſaniæ, & lumẽ inter tenebras. Hinc euenit vt ſi quid ſcribendũ ſit de chymia pene ad alphabetarios ſit redeundum, & ante ſententiam diſcendũ quæ res ſit chymia, quæ cucurbita, alembicus, & reliqua. Sed mitto iſta. Quod nõ omnes qui chymiæ fama ſunt celebres attigi, aut etiam forte aliquos compellaui, qui chymicarum operationum habẽtur imperitiores, excuſatum me quæſo habeas Lector. Non poteram omnes noſſe, nec relicta Germania & amicorum cõſortio adire Galliam, Italiam, aut peregrinos. Hoc ſibi perſuadeãt omnes

Vbicunque ſunt, periti, me aliquibus nominatis intellectos voluiſſe omnes. Quicũque ergo aliquid ad publicũ emolumẽtum cõportauerit, ei ſuus erit relictus & locus & honor. Nec nos quiſpiã tam inopes ex Dei gratia rerum putet, vt graculis Paracelſitis nequeamus occurrere, ſi pũgere & inquieto ſtrepitu interturbare velint. Sunt ad manum ea præſidia quæ ipſi vix per ſomnium viderint. Loquor de præſidiis ſcientiæ. Opum multitudinem non moror. Eſt & admonenda ſimplicitas quorundam hominũ, qui negant chymica ita eſſe diuulganda, vt tyronibus ſint vtilia, quia ſeruandum illud Hippocratis inſtitutum, quo à ſacris medicis arcet profanos. Ego verò neminem admittendum puto niſi artis tyrociniis initiatum. At non eſt occludenda ad initia ianua. Vt multi poſſint fieri ſacri, multos aduoco. Ne dubita; non eſt tam leuicula chymia, vt illotas patiatur manus. *Tu nihil inuita dices faciéſve minerua.* Si quem Deus ad chimian per naturam aptum reddidit, itaque conſecrauit, túne eum iterum profanes, aut à lege ſacrorum prohibeas? Túne Deo, naturæ, & officio in ſocietatem bellum inferas? Si docere quid laudabiliter potes, cur ſis minus pręceptor quam veſanus Paracelſus? An ignoras te per donum iſtud ad docendũ eſſe vocatum? Occulteſne commiſſum talentum? Auarorum infamia eſt quod ipſis

tam

tam deſit quod habēt, quam quod non habent. Tu ſchedulam chymicā poſſides, nec exerces ipſe, nec aliis communicas. Quid ab auari iudicio diſtas? Metuis ne arcanum deſinat eſſe arcanum, neque inquinetur impuris manibus. Quo magis metuis eo plus degeneras ab imagine Dei primęua. Nō debuerat nimirum te iudice Deus ab æterno tacitum myſteriū mundo reuelare, quia deſiit eſſe occultū, & male tractatū eſt à multis. O te ſtultè ſapientem. Quot dies putas ſuperfuturum mundum? Beaueris nempe te ſi cum ſchedula arcani chymici tineis potius commiſſa & pulueri, quam fratri homini, coram tribunali Chriſti apparueris. Multum præſtiteris ſi breui vſura nos pauci æui ditaueris. Cui verò reliqueris id magiſterium tuum à morte? Digníſne an indignis? Ne reformides indignos, viuus publica & manifeſta dignis. Heredes tui non pulpita vermiculoſa pulucrulentaque ſcrutabuntur, ſed nummorum capſulas. Tuum verò arcanum fortè etiam ad inhoneſtiora perueniet, nec tu inde prædicabere. Hoc tibi lucro erit, nec viuus per ora virûm volitabis, nec mortuus fuiſſe aliquādo intelligeris. Sed relinquamus caninas ſordes canibus. Nō deerūt porrò iniqui iudices, qui me gratis petere reuelationes iniuſtè clamabunt, & offerent cum pecunia conditiones ſilentij iuramento firmatas.

Non quidem ęquum eſt ſuo cōmodo fraudari quemquam qui in diſciplinam multos cōtulit ſumtus. Sed cum ſint plures quibus nihilo ars conſtitit, aut cui venali ob nimiū precium non inuenitur emtor, quid emolumenti hi expectent? An verò parum eſt fama bene meriti de publico frui? Si tanti æſtimas tuas ſchedulas vt nullus poſſit æquiualens dare, quin donas gratis, imitatus exēplum Zeuſidis pictoris? Poterant hi qui theſauris abundant liberare ab occultatoribus apparatus, eoſq; publici iuris ſuo beneficio facere, & immortale conſequerentur nomen. Sed plęrunq; magni ęſtimantur nugæ à pauperrimis. Felicius agerent ſi à paruo principio ad profectum aſpirarent. Cum tanta ſit ſtipendiariorū copia, & mendicantium publice prouentus, è ſtipis reliquiis poterat tantum cogi quantum ſatis erat ad artis initium, præſertim ſi ſit ſpe fœcundum. Eos tandem ad quos epiſtolę ſunt exaratæ rogatos velim, ne putent ſua nomina hìc ita proponi, quemadmodum agyrtæ in nundinis tabulas ſuas ſolent. Semper fui ſtudioſus honoris bonorum. Eum etiamnū ſartū tectumq; volo. Ratio epiſtolaris mea tantum abeſt à conſultis Paracelſitarum & fraude extortis literis, inuitiſque autoribus diuulgatis, quantum à fraude doloq; honeſtas, & à turpitudine liberalitas. Ideo etiam non doctorem & magiſtrum me exhibeo,

011

ſed diſcipulum & cōſultorem, quaſi examini ingenuo amicis & doctrinæ egregiæ teſtimonio ornatis me ſiſtens. Rogo autem vt colloqui reſpondendo nō dedignentur. Ita enim ſperatus profectus emerget. Præſagit & hoc mihi animus, fore quoſdam qui me nimium dicent in declarationibus per documenta externa fuiſſe: Debuiſſe ſua ſententia omnem praxin nude, diſtincte, & maxime pueriliter proponi, vt etiā hi qui nunquam ne elemētum quidem chymiæ aſpexerunt, potuiſſent rem penitus intelligere & cum fructu in lectione verſari. Aliis ero obſcurus nimium & myſticus, quemadmodum ſunt, qui conqueruntur ſe priora ſcripta mea eandem ob cauſam non poſſe intelligere. Atqui artifices me palam proſtitutæ artis accuſabunt. Scitote verò cenſores mei, me familiariter hìc cum eruditis colloqui. Horum captui non erant nimis rancida & plebeia offundenda, ſed paulo acutiora. Nec nihil dandum oblectamentis. Nam epiſtola nō fert tantum rigorē, quantum præcepta ſola. Itaque liberius indulſi rerum phyſicarum contemplationi. De obſcuritate ſi conquereris, iniquus es. Nam ideo ex naturæ & officinæ apparatu addidi commentarium, vt non tantum fontes monſtrarem, ſed & euidentius docerem. Si naturalia non aſſequeris; nondum es aptus chymicis operibus. Diſce phyſicen ante ἐγχείρησιν

χειρήσεις chymicas. Vocabulis vſus ſum valdè popularibus, vt agnoſcent periti. Sed tamē loquendum fuit non raro cum artificibus. Si non aſſequeris; hæc tibi eſto prima cura, vt ſermonem diſciplinæ intelligas, id quod facere cogimur in omni arte. Vbi id conſecutus fueris, lege & relige quæ ſcripſi; omnis fugiet difficultas. Quæ plura impedimenta afferes; ea, vbi intellexero, curabo ſublata in artis informatione, quanquam nullus eſt qui omnibus queat ſatisfacere, & vt vetus habet, ne Iupiter quidem, ſiue pluat, ſiue abſtineat. Tantum eſt.

IN OPVS

IN OPVS CHYMICVM EPI-STOLICVM ANDREÆ LIBAuij Viri clariſſimi, Medici & Poetæ

ELEGIA D. BARTHOLOMÆI Hubneri Philoſophi & Medici Erfurdiani.

VT noua iã non ſunt medicamina chymica, primũ,
Nec medicis hodie cognita facta ſcholis:
Sed priſcis Arabum, Saracenorumq; libellis
Eruta, nunc vultu ſplendidiore nitent,
Noſtraq; nouerunt ea pharmacopolia dudum,
Ac his aucta ſuum ſponte dedêre locum:
Sic neq; depellunt omnes è corpore morbos,
Artis conſtituunt nec documenta noua.
Pars tantum dici, ſed non ars tota medendi,
Rem ſi perpendas dexteritate, queunt,
Exornantq; magis cumulantq; Machaonis artem,
Atque ancillantur, non dominantur ei.
Concidit ergo gregis vani iactantia mendax
Admiratorem quem Paracelſus habet,
Et confunduntur bombaſtica ſomnia, multi
Per quæ nunc medici protinus eſſe volunt,
Quantumuis artẽ nullam, methodumve prehendant,
Quam docet Hippocrates, quamq;, Galene, tenes.
Ingenij qui ſunt adeo petulantis, vt omnem
Doctrinam veterum nil valuiſſe velint,
Pharmaca nec toties per ſecula cuncta probata,
Et quæ natura prouida cura dedit,
Humanæ quicquam dicant conferre ſaluti,
Ni prius hæc ignis flammea viſq; nouet.
Et licet haud cupiant rerum cognoſcere vires,
Quas in noſtra dedit commoda terra parens;
Nec norint quantum poſſit Vulcanus in illas,
Et quæ ſint nobis apta, vel apta minus,

Ludicra ſed tantum vocum portenta ſonare
Pauca queant, ipſo pene timenda ſono;
Aut aptare lutum fornacibus, addere prunas,
Et torrere mali tradita more coqui:
Se tamen antiquis cunctis, cunctisq; modernis
Doctrina claris conſpicuisq; viris,
Abſque pudore ferunt paraſangis pluribus ante:
Vmbra ſunt reliqui; Rectius hi ſapiunt;
Si nempe hoc ſapere eſt, homines deludere vanis
Promiſſis, fumos vendere, falſa loqui,
Et pro perſpectis, notis, & ſæpe probatis
Noxia, tecta dolis & fugienda dare,
Ac hominum plenas ſic exhaurire crumenas,
Certaq; pro vita tradere tela necis.
Quis tanto faſtu tam vanas, obſecro, nugas
Vel ſine fronte prius vel ſine mente dedit?
Quam quos nunc iuuat à Paracelſi nomine dici,
Ac vna morbos quosq; fugare lyra?
Aſtipulatores tamen hæc veſania multos
Inuenit, & non eſt abſque patrocinio.
Scilicet eſt auidum vulgus nouitatis, amatq;
Affectu potius quam ratione regi.
Inde fit vt ſua committant iis corpora plures,
Pauca quibus nemo crederet æra catus,
Et conducuntur precio maiore pericla,
Et mors, quam redimi vita ſalusq; queant.
O cæcas hominum mentes, ô ſecula cæca.
His quot ſufficient morbus anticyræ?
Quando rogo, ſapiet mundus poſt mille tot ictus?
Quando ſuo damno cautior eſſe volet?
Porriget aut ſanis quando monitoribus aures?
Quando ſequi rectos perget in arte duces?
Optima maiorum cur non veſtigia mauult,
Calcatamq; probe quiſque tenere viam,
Auia quam tantis ſectari plena periclis,
Tot fœdis monſtris corpus & obijcere?

Si quid

Si quid habet ſani chemia, vel vtilis in ſe
(Commoda multa autem, ſanaq; multa tenet)
Omnia dexterius tibi pharmacopolia noſtra
Et medici quorum mens bona, fida manus,
Quam leuis impoſtor, quam ſtellio vanus, & audax
Hiſtrio, nulla quibus mensq; fidesq;, dabunt.
De quo ne dubites, vel aberres, optime Lector,
Perlege LIBAVII *quod modo cernis opus.*
Iratas habeam muſas, & Apollinis arcum,
Ac faueant ceptis numina nulla meis:
Chymica ſi quiſquam dextrè magis hoc, vel apertè
Maioris ve fide, candidius ve dedit.
Gratis eſt vlnis occaſio digna: iuuentus
Hunc præceptorem nunc velit ergo ſequi.
Rectè perdiſcet noua pharmaca iungere priſcis,
Amborumq; ſimul tergore corpus ope.
At te, LIBAVI *medicorum gloria, noſtras*
Qui ſcriptis auges, atq; tueris opes,
Proſperet incolumem clementis gratia CHRISTI,
Neſtoreosq; dies hîc ſuperare ſinat,
Pluribus ingenii decores vt fœtibus artem
Pæoniam, qua nil hic prius orbis habet,
Confundasq; ſtyli telis felicibus omnes
Quos inſectari cunq; iuuabit eam.
Sic immortali celebrabere nomine, cunctis
Et toto fies notior orbe bonis.

IN EPISTOLAS CHYMICAS LIBA-bauianas D. Bernhardi Stiberi Elegia.

RES medicas, magicasq; dolis vitiisq; patere
Iam pridē grauiter ſcripſit ARISTOTELES.
Idem naturas rerum feliciter olim
Scrutatus ſolidè Plinius aſſeruit.
Apparet ratio, turpis quod inertia bellē
Famoſis titulis tecta latere poteſt.
Grande ſonant auri ſulphur, Tinctura ſuperba,
Sal veneris, ſtibii magna magiſteria.

Sunt tamen ad fraudes hæc ſingula ſæpè parata,
Nec niſi præclaris cognita ritè viris.
Imponit multis varia verſatilis arte
Mercurius, cordi pernicioſa lues.
Nobile nomen habet, Turbith, Sol, Luna, planeta:
Nobilior reliquis res PANACEA *fuit.*
Attamen hæc potuit ſeducere Teutonas oras,
CINABRII *ſaltem nixa colore leui.*
Sæuius hi peccant, ægris qui certa venena
Non bene per chymiam cocta recocta, ferunt.
Hic ſeges errorum fœcundaq; meſſis habetur.
Fors cur id fiat, lector amice, rogas?
Stant academiæ ſanctiſſima templa mineruæ:
At ceu nulla, in iis chemia ſpreta ſilet.
Mordicus affixos libris pleroſq; Galeni,
Quid poſſint medicæ, chemica facta fugit.
Inde ſupercilio non intellecta refutant,
Exemplisq; malis corda tenella trahunt.
Talia conſpiciens ciniflonum turba nefanda,
Arcem chemiæ mente furente petit,
Carboneſq; mouet tiliæ, atq; ſuperbit iniquè
Vendens pro effatis quæ Paracelſus habet.
Sic aliquot lente Paracelſia creuit ab annis,
Nempe impune tulit funera multa diu.
Hanc cupit ingenii validis ſuccidere neruis
LIBAVIVS, *fucis non toleranda ſudes.*
Conficit id formâ literarum, vt ſi quid amici
Conferrent operæ, ſtellio nudus eat.
Vix vnius enim res hæc operoſa videtur:
Plura oculos plures cernere poſſe putat.
Sic CRATO, GESNERVS, ZVINGERVS, BACCIVS, æquè
Adiuti à multis multa dedere foras.
Hactenus ille quidem properè clariſſima ſcripta
Impiger expreſſit, ſingula marte ſuo:
At potiora dabit ſua ſi coniungere docti
Rerum vſuq; graues, quæ didicere, volent.

Et quare inuideant orbi, quæ publica fient,
Inuitis ipſis, vitam vbi reddiderint?
Inſeruire decet mundo, celare nec vnquam
Quæ conferre aliis emolumenta queas.
Oſtendit liber hic quoque, quæ paracelſicus erro
Vix ſummis precibus, muneribusve daret.
Idem ſi facerent alii, qui myſtica magnæ
Naturæ callent, ars bene culta foret.
DET DEVS *hoc ſemper votis ardentibus opto;*
Vt veri faueant artibus artifices.
Sic ſanctè rerum verus ſeruabitur vſus:
Cedet agyrta procul; transfuga nullus erit.

IOACHIMVS CAMERARIVS PATER PHIL. *& Med. ſummus Andr. Libauio.*

OPVS tuum ἐπιστολικὸν probo. Hortor te etiam atque etiam illud vt perficias & in publicum edas. Erit vtile ſtudioſæ iuuentuti, &c.

IOHAN-

IOHANNES HARTMANNVS BEYER, MEDICVS REIpubl. *Francofurtenſis ad Mœnum.*

STVDIVM tuum in ornanda augendaq; medicina indefeſſum, vehementer equidem probo: & polydædalam miror vim ingenii. Chymiam enim, quod multi deſiderarunt hactenus, ab inquinamentis & tenebris, quibus lucifugæ Bombaſtæi artem nobiliſſimam cōſpurcarunt, vindicare & perpurgare, priſtinoque ſuo reſtituere nitori, ſatagis. Id licet tentaſſe quidam videri poſſint, aut velint, potius eos tamen, vel rei difficultate victos ac deterritos à cœpto deſtitiſſe, vel pari obſcuritatum labyrintho diſcendi cupidos deluſiſſe, conſtat. Quare palmam tibi merito viri docti deferendam ſtatuunt: quam & gratulor, & diuturnam perpetuoq; florentem opto, &c.

ZACHARIAS BRENDELIVS PHILOS. ET MED. *excellens Ienenſis academiæ Profeſſor, &c.*

MAGNA me tandem cura liberaſti, cum ſcribis te chymicam artem ita elaboraturum, vt ſaluis principiis phyſicis & medicis, ſtudiis noſtris poſſit eſſe commoda.

Magno-

Magnopere te hortor, vt quod cum Deo incepiſti, bene abſoluas. Quid ego vero te? Camerarium ſcribis tibi autorem eſſe. At quem, quantumq́; virum? Id verò eſt quod votis omnibus expetiuerunt tum alii tum Lipſenſis Academiæ profeſſor Barthius, ſperans fore qui chemiam medicinæ copularet, quandoquidem altera alterius opem poſcere neceſſitate quadam videtur, &c.

BERNHARDI PRÆTORII

Poetæ Cæſarei Anagrammatiſmus

ANDREAS LIBAVIVS
Dan aureus Labiis.

Dan inodoratis Libani radicibus ortus
Aureolas ſcatebris eiaculatur aquas.
AVREVS *es* LABIIS DAN *nobis clare Libaui.*
Aureus è labiis nam tibi ſermo fluit.
Seu tibi Mæonium libeat deducere carmen;
Aureus è labiis en tibi ſermo fluit.
Seu tibi Pæonium libeat deſcribere ſuccum:
Aureus è labiis hîc quoq; ſermo fluit.
Iure igitur merito LABIIS DAN AVREVS *audis*
Cum rebus quoniam nominis omen habes.

STVDIO-

STVDIOSIS CHYMIÆ.

Miracla rerum calluit abdita
Pellaa qui pracordia conſcius
Doctor rigauit gnauus vndis,
Et Macedûm erudiit tyrannum,
Id propter immortalia laurea
Nactus virentis munera. Tollitur
Nunc vſque cœlo pridem ad vmbras
Miſſus, & è tumulo refulget.
Nec Parua manſit gloria paonem
De rupe Coa. Firma Machaonis
Laus Pergameni eſt. Si ſagaces
Protulerint chymia labores
Æquos triumphos ferre nequiuerant?
Cognoſce Tyro, quid Stagyreius
Arguet heros, quid Galenus
Perſonet, Hippocratesq́; diuus.
Coniunge ſed myſteria Lemnij
Miranda fabri, ſoluereq́; artifex
Ediſce clauſarum arcta rerum:
Multa profundius eniteſcent.

A. L. D.

ELEN-

ELENCHVS EPISTOLARVM

CHYMICARVM, LIB. I.

1 De vituperiis chymiæ Paracelſicæ & aduerſantium argumentis. fol. 1
2 De veræ chymiæ honore 19
3 De difficultatibus quibuſdam in vſu etiam veræ chymiæ 48
4 De magnificis chymicorum promiſſis in nutritione & medicina 56
5 An chymia propter morbos epidemicos ſit inuenta, vt ſubſtantia tota totius ſubſtantiæ ſanari paſſiones queant 68
6 De notatione chymiæ 82
7 Quid ſit chymia 84
8 De eadem definitione 88
9 De eſſentiæ vocabulo 92
10 De primo ente 98
11 De ente ſimpliciter 100
12 De conſtitutione artis chymicæ 107
13 Methodus conſtitutionis artium 116
14 Ἰχνογραφία χυμείας 124
15 De cinabari, minio, ceruſſa, lazurio factitio, plumbagine, lithargyro, ſcoriis & ſimilibus, an ſint operum chymicorum genera 135
16 De ſcrupulis quibuſdam verſanti in chymicorum lectione obuiis 139
17 Experimentum explicationis hieroglyphicæ in tabula ſmaragdina Hermetis 144
18 De obſcura chymicorum locutione 162
19 De numeris quibuſdam in chymia vſitatis 171
20 De ouo philoſophico eiusque partibus & eſſentiis chymicis 179
21 De principiis & elementis chymicis 184
22 De vſu principiorum & elementorum apud chymicos, & præcipue de pyronomia 194
23 De ornatu & ſupellectili chymica 213

24 De

24 De colis chymicis,vitrorum munimentis,recluſione, luto,&c. 228

25 Veterum phyſicam à Peripateticis explicatam comprobatamq; non mutari obſeruationibus chymicis 240

26 Argumenta chymicarum operationum ex Ariſtotele 247

27 De Galeni voto, quo aiunt exoptaſſe eum ſibi chymicas ſegregationes ignotas 255

28 De argumentis & coniecturis quibus conſtet quodnam quomodo ſit elaborandum 263

29 An chymicus apparatus dependeat ex conſideratione chyli,chymi & ὀπῦ 268

30 De tinctutis 275

31 De ventriculo Struthionis & aſtro chymico 280

32 De aqua paracelſica immatura,lilio & lapide philoſoph. 283

33 De vitris chymicis, cliſſo, acida muria, regulo,lixiuiis,&c. 285

34 De auro vitæ, Realgare, ſanguine lacertæ, Xenechdo,lacte virginis,& aliis 289

35 De ſanguinibus chymicis,crocis,galbaneto, cryſtallis,corallato & theriaca minerali 294

36 An chymici ignorent Galenicas operas, quibus fiunt electuaria,ſyrupi,pilulæ,&c. 298

EPIST.

EPISTOLARVM CHYMICARVM Liber primus.

EPIST. I. DE VITVPERIIS CHYMIÆ PARACELſicæ & aduerſantium argumentis.

AD COSMAN CRENANDRVM Virum eruditum, & medicinæ Doctorem Stadæ.

VALDE placuit mihi tuum, CRENANDER, ſtudium, poſtquam conſpexi te non vulgariter philoſophię & medicinæ adiicientem animum, quaſi ad cupiditatem, qua ad ſciendum res præclaras natura duce ferebaris explendam quæuis ſatis eſſet notitia, ſed aliquid ſolidius diuiniusque veſtigantem ſummo cum conatu ad abſtruſa, à vulgoq; remota contendere myſteria naturæ. Huc tyrociniorũ tuorum ſpectarunt anni: huc, poſtquam honores ex virtute doctrinaque præſtante conſecutus es ampliſſimos incredibiliter

aſpiras, cumque cognoueris inter chymiæ profeſſores, quemadmodum prodigioſa illa teſtantur præconia, aliquid ſingularis, & maximè ſecretæ latitare ſapientiæ, ad quod peruenire non cuiuis fas ſit, propterea quod, licet ipſi inter ſe ſat diſſerant apertè conſuetaque vtantur & lingua & ſcriptura; tamen exteris omnia ſignificent tectè per literas, quas hieroglyphicas olim Ægyptiorum nominarunt philoſophi, qui artis illius & inuentores duce Hermete quodam ter maximo creduntur, & ampliatores, perfectoreſque: totum te huic profeſſioni conſecrare, & in abyſſum eius ſciētiæ demergere, quantum animaduerti, decreuiſti. Verum enimuero ſicut philoſophicum illum ardorem, & medicinæ ſitim commendauerim; ita in chymia μηδὲν ἄγαν fieri debere contenderim, & cum Catone literas quidem chymicas inſpectandas delibandaſque, ſed non perdiſcendas, adeò vt cuiuis te credas magiſtro, & abſque iudicij acrimonia ſectere, verumque putes quiduis, ſuaſerim. An ignotum tibi poteſt eſſe quantum huic arti, ſicut olim exorientis Euangelij lumini, contradicatur locorum vbiq; tam à ſummis quàm ab imis? Nati & veri Dei religioni ſumus, & humanæ ſocietati colendæ, iuuandæ, tuendæque. Stationem hanc deſerit, parumque ſortis ſuæ memor eſt, quiſquis in ſolitudi-

nem

nem fornacum chymicarum ingreſſus inter Vulcani latet tripodas, & quaſi nec diuinorum officiorum nec humanarum rerum ad ſe pertineret cura, poſthabita ſacrarum literarum lectione, iuris ciuilis inſpectione repudiata, & legum domeſticarum ſanctione neglecta, cum flammis pruniſque conuerſatur, colluctatur fuliginibus & nidorum acumine ſenſus perdit. Si accedas, & quid rerum geratur, explorare velis, non accipias reſponſum illud liberale, quod olim in caſula ſedens ſe accedentibus dediſſe fertur Heraclitus: Ingredimini; Nam & hìc Dij habitāt: ſed torua fronte & titanicum proſpectante vultu moroſè aſpereque excipiaris; mox etiam ſus, caniſque audias, qui ſis ab illis arcendus margaritis, & vel flagrorum verbere à templo illo abigendus. Si qui in tranſcurſu vrbis vrbanitatis quiddam, aut conſpectu ciuis ſemiuiri ciuilitatis arripuerunt, illi te verborum inanitatibus detinent, & tricas apinaſque immenſis extollendo laudibus ita dementant, vt, cùm nihil niſi murmura manium, & portenta ſtrepitus Vulcanij audiueris, mirificè tamen tibi placeas, puteſque eximium quid noſſe cùm ſcias nihil, id quod verè eſt à ſæua illa Dea Circe potentibus dicteriis ex hominis facie in arrogantem tranſmutari leonem, qui poſtea ſocios aliquando ſuos rugitu dente-

quę perſequatur hoſtili, tantum abeſt vt illis, quod lex naturæ exigit, ſit emolumento. Iam tu intelligis ipſe hominem exuiſſe eum, qui humanum dedidicit morem; quique finem non amplius ſeruat ſpectatque ſuum, eum ad beſtiarum vel aliam quampiam defeciſſe tranſiiſſeq; familiam. Sed nolo apud te in epiſtola ambitiosè declamare. Nuda ſaltem argumentorum produco pondera. Qui naturam deſtruit, poteſtne is eius eſſe amicus? poteſtne is probare, quod à ſapientiſſimo architecto eâ eſt inſtructum facie, quâ & optimum eſſe viſum eſt, & ad omnem humanæ vitæ rationem commodiſſimum? Contemplare chymicorum inſtituta. Integros quaſi à matre ſua accipiunt interdumque rapiunt partus. Hos ſatis decorè aptéque informatos reformant; natiuam faciem exuere cogunt, nouaque inducta ita adulterant, vt non agnoſcas rem naturæ. Tantámne in hominem cadere proteruitatem? Qui ceruſſatam miniatamque vulgo oſtentant faciem, qualis olim inter ſcorta ſua concubinasque ſediſſe dicitur proclamatiſſimum turpiſſimarum voluptatum mancipium Sardanapalus, ſuo vitio omnibus bonis ſunt inuiſi, moleſteque inter homines verſantur. At extremæ ſaltem cuticulæ illeuerunt mangonium, facilè ad natiuum reditura illa. Quo odio illos proſequaris,

qui intima cum externis peruertunt? Imperfectam dices, inabſolutamque naturæ ſobolem perficiunt. Sed iſto portento ſcelus ſcelere cumulabis grandiore. Nego tibi naturam ſibi relictam imperfectum quid parturire, niſi vitio alieno. Nego ſi quid non perfecit natura, id arte chymicorum poſſe abſolui. Ab intimo motus perfectionis eſt. Niſi omnem temperaturæ vim in manu habeat ſua chymicus, edere perfectius quid nequit. Sed quid ille perficiat? Imò perfectiſſima quæque naturæ opera exquiſitiſſimo congerit ſtudio. In his elaborat. Veſaniæ eſt perfectiſſimo addere velle perfectionem. In vltimo quies eſt, nec vllus ei motus accedere poteſt alius quàm in contrarium. Imperfectum autem aduerſatur perfecto. Corrumpit ergo chymicus, non perficit amplius. Sed dono tibi aliquid perfectionis. Cùm abſolutum eſt opus, quidnam tandē factum eſt? Phantaſma nempe hominis veſani. Coctionibus enim fortuitis dum aſſidet chymicus, quicquid fortuitò prodit, id eximiè effert, id pro eſſentia ignaris exhibet, cùm non raro effugiente eſſentia reſtent ſtercora. Male agitur cum hominum incolumitate cum ægrotantium mente ſomnia coguntur pro veris exoſculari. Tu ipſe iudica an non eſſentia miſti ſit miſta. At ſuis coctionibus miſturam perdit ille tam præ-

clarus artifex. Craſi deſtructa quidnam promet ex olla? Lutum nempe καὶ κόπρον ſeu cineres fauillamq́;, vt pronunciat philoſophus. Si ita laborare artis eſt; quemcũque corruptorem deprauatoremque naturalium pro artifice habeas. Quicquid in natura deſtruitur miſtum, id ſimul perit totum, inque vltima redit. Non enim equi cadauer ſoluitur in truncum & membra, nec hæc viciſſim in homogenea & heterogenea, oſſa, carnes, cartilagines, cutem & reliqua. Ita ſi quid comburas, non exit ſeorſim ſanguis, neruus, vena; ſed omnia ſimul eodem atteruntur infortunio. Iam autem quod ad vltimum redactum eſt, id ancipitem habet ad omnia facultatem. Omnium enim materia eſt τὸ ἔσχατον. Elementa καὶ ὕλη verè ſunt πανσπερμία quædam ſeu omniſeminarium. Quamcunque formam contingit ab aliquo operante immitti; eam capit. Si chymicus formarum eſſet largitor; creator foret, qui nouas generare poſſet rerum ſpecies. Omnium item motuum naturalium, articulorumq́; eſſet conſcius. Sic enim, non aliter, pro arbitrio formam materiæ largiretur. Sed quis tam prodigiosè amens ſit & impius, vt vel ſibi iſtud vel alteri hominum, ne ſi Prometheus quidem ille fabuloſus ſit, tribuere auſit? Si itaque quid procurat, id totum fortunę erit, quo pacto cur non fiant omnia

ex omnibus? cur nõ pro alexipharmaco venenum? Rectius hore collocantur in naturæ integritate ſpectanda. Abundantiſſima hæc ſylua eſt. Innumeris hominum ętatibus non poteſt cõſiderari percurriq́; quin ſemper aliquid denuo notandũ illa ſibi ſeruauerit. Hem tibi diuitiarum copioſiſſimarum mare. Hoc ingredere. Hic te exerce contemplando. Vita te deficiet prius quàm omnia luſtraueris. Sunt & veterum philoſophorũ monumenta tam plena abſtruſæ cognitionis, & ſolertium inuentorum, vt hæc cognoſſe ſit laboris ſtudiiq́ue penè infiniti. Multas vidiſti academias Germanas Italasq́ue & Gallicanas. In qua non laborem illum laborioſiſſimum, quo explicantur ſaltem veterum ſenſa & phraſes, deprehendiſti? Tantum negotij eſt homini ſtudioſo, tantumq́ue difficultatis, vt ſaltem ſermonem philoſophicum diſcat intelligere & rectè interpretari. Hinc tot controuerſiæ ſcriptæ; hinc tot certamina inſtituta; hinc tot ampliſſimæ enatæ ſunt laudes, vt ſi quis interpretem duntaxat agat bonum, nihil ſibi deeſſe ad omnia ſumma putet. Quo vultu ergo auſit quis poſthabitis illis omnibus chymian irrepere? Poſſitne in illa verſari ſine interprete? An tam delirus ſit, vt quæ à mundi exortu tot anxia ingenia ſolicitè inuenerunt, tradideruntq́ue per tot ſeculorum ſucceſſiones, ſe vnum,

eumque momentaneæ vitæ ſine magiſtro inuenturum comprobaturumque arbitretur? Sed & finge iſtud fieri poſſe; excidet tandem omnis artis artificiſque exiſtimatione. Ars enim non eſt niſi quæ vſu & experientia multorum eſt conſtituta compertaque ſeculorum, & à plurimis ſapientiſſimis commendata. Mitto iſta omnia. Quod operæ precium ex ſudore chymico te reportaturum opinaris? Hominem (vt antè dixi) obliuiſceris: corpori tuo ſulphureis & mercurialibus fumis, ignium halituoſis ſpiritibus, & prunarum fauilla immedicabilem cõparaueris noxam. Tempus inſuper quod corporis debetur quieti perdes. Nam non diu tantum, ſed & noctu aduigilandum eſt flammis. Vſum valetudinis tuæ ſubtrahes Deo; ſubtrahes patriæ; intercipies amicis; ſurripies filiis, & propinquis, non niſi iam tabe correptus exeſuſque morbis & ſepulchralis factus manus hominum incurres, nec Deo niſi in lecto ſeruies. Quo ſcelere poteſtne quippiam eſſe maius? Ingenium à natura accepiſti ad omnia præclara natum, quodque laude hominum poteſtat cœlum attingere. Tu chymicus factus illud damnabis tenebris, & in imum terræ barathrum præcipitabis in Trophonij antro & ſpecu plutonico auernoque mineras manium per ignes exagitando fruſtrà.

ſtrà. In oculis & admiratione omniũ poteras verſari. Chymiæ opera eris in contemptiſſimis. Quid enim vilius rerum decoctore? Quid abiectius chymiſta? Mendacem & futilem hominem nominare qui volunt, Calendariographum dicunt; at qui ſceleratum ſimul impoſtorem, chymicum. Chymico conueniunt, & aſtrologica mendacia, conueniunt adulteria auri, gemmarum & omnium rerum. Chymicus ſi fuiſſet nullus, mundus exquiſita infamia & facinoribus turpiſſimis careret. Qui tonitrua illa humana, peſtem perniciemque & ſtragem non viuentium tantum, ſed & inanimatorum inuenit, chymicus fuit. Execrabile illud omnibus ſapientibus inuentum eſt. Qui chymiæ ſuam operam addicit, illorum omnium ſe approbatorem cultoremque profitetur. Hic ſitne vel vita dignus? Intellexerunt nimirum hoc viri prudentes, & tot cruces chymicorum ceruicibus plenas erexerunt, totq; compleuerunt carceres. Tollendæ ex hominum memoria ſunt peſtes, non augendæ. In chymicos impactæ ſunt & iureconſultorum ſententiæ. Chymicos imperatorum prætorumq; damnarunt decreta. Chymicorum libri Vulcano ſunt conſecrati. Vbiuis penè gentium malè excepti chymici perierunt, adeo vt medicus ille ſummus Arnoldus poſt ſæuum carcerem martem ſæuiorem vix euitârit.

târit. Si chymicus fueris, continuò etiam magus audies. Eſt enim hoc ſcelus crimini illi affine. Et quia vtrumque exercuit noſtro tempore, aut ſaltem præ ſe tulit Paracelſus. Et paracelſiſta ſimul & omniũ deliriorum reus exiſtimaberis titulo chymiæ. Poeta, Platone cenſore, ex libera ciuitate eſt exigendus, nec defuit, qui ſuo ſibi carmine iugulum penè fregit. Quid de chymicis idem ſtatueret viuus, quorum malè perditorum exempla extant paſſim? Non abeſt à chymico beneficii ſuſpicio, non abeſt adulterandæ monetæ crimen. Quicquid vbique ſcelerum eſt, id omne congeritur intorqueturque in chymiæ profeſſorem. Palàm eſt conuitium hominis perditi profligatique. Opes Deus ſuſtentacula humanæ vitæ iuſſit eſſe. His adiuuatur religio, ornaturq́;. his belli pacisque tempora ad ſalutem vtuntur humanam. Chymicus vt naturæ, cui deſtruendæ vnicè incumbit, hoſtis eſt, ita & opum tabes barathrumque & funus vltimum. Quicquid habet patrimonii, quod cõtulerunt amici; quicquid fraudibus congeſſit, & expilandis diuitum loculis comportauit, id in fauillam vertit. Pœnitet nimirum ipſum natũ eſſe aurũ argentumq́;. Ad perniciem eorum ſe ſtudioſiſſimè accingit, & tanto bono miſeram mortalium vitam fraudat. Legibus aliquando cautum fuit, ne quis chryſurgorũ monetam poculorum

lorum gratia frangat. Qua lege prohibebitur ab integris & fractis chymicus? coruorum. Sunt tamen chymici ipſi ſuorum ſuppliciorum non raro inuētores. Dum enim tranſmutando hydrargyro inhiant, ſeipſos transformant citius in mendicos fauillamque & quiſquilias hominum, quam mercurium. Grati ſunt principibus, dices. Grati ſunt, inquam ego, ſed dum ſpe aurea iucundè demulcentur. Seruantur itē & compellantur blandè tanquam multi precii homines; ſed aut ad auri maria, aut suppliciorũ tormenta. Itaq; vbi in principum venerunt manus, aut offa eos explere aurea nullo fine coguntur, aut vltima quæque expectare. Non ſunt amplius ſui. Dicunt ſe medicinæ propagandæ & ſanitatis procurandę nomine extitiſſe. Sed cuius medicinæ? Cuius nempe quæ veneficiis hominum minuit numerum, quaſi non ſat venenorum produxiſſet natura, ni chymicus ſua profeſſione illam augeret labem. Carnificinæ faciendæ, non medicinæ, & omnibus ætatibus mundi honeſtiſſimo excepta fuit ornataq; hominum ſapiētiſſimorum præconio natos arbitreris. Si enim huic inſeruirent ſua certè omnia ad eius amuſſim inſtituerent. At Domini, non miniſtri diuinæ illius artis, quam etiā ſolis ſibi arrogare dementer non erubeſcunt, eſſe quærunt. Tam ergo procul abſunt à medicinæ honore, quā

quod

quod longiſſimè. Tantum illis eſt cum hac commercii quantum cum amaracino ſui. Specta operas eorum, quibus nefariè non reſtituerunt homines, ſed necarunt; non adiuuerunt ſanitatem, ſed violarunt. Vtuntur ſtibio furioſiſſimo & hydrargyro cerebrum & omnia membra lacerante, eaque præbent ingerenda in ventriculum, quæ certa venena eſſe conſtat. Quidam ex tartaro nitroque ſenis ignibus aquam eliciunt, quam aqua regis miſtam ægrotis magna quantitate propinát. Porrigunt cinabarim tam natiuam quam factitiam ex hydrargyro & ſulphure confectá; chalcanthi aquam haurire præcipiunt, omnia tanto cum cruciatu ſæpè coniuncta, vt quidam conuulſi interierint; aliqui laceratis eroſisque faucibus ventriculoque cum incredibili vlulatu ad inferos diſceſſerint; quibuſdam cordis vena diſrupta ſanguinem vitalem cum anima profuderit; aliquibus puncturæ totius corporis exitiales extiterint, & omnino tot ſunt exempla miſerrimè à chymicis afflictorum, vt non immerito omnibus bonis ad mentionem eorum cutis obrigeſcat, & veluti tertiana concutiatur febri. Eraſtus certè non dubitauit iſta medicamenta Diabolica nominare, vt quorum vim ne ſolertiſſimo quidem vſu poſſis anteuertere. Augent crimen iſtud & flagitium ſatis atrox mendacio atrociore. Negant iſta ſua corroſiua eſ-

ſe, quia ex ſalibus fiant, & his ſuccis qui à veteribus & recẽtibus corpori cum cibo immittuntur. Sed quis non deprehendat veſaniam? Si nihil ab arte illa & ignibus acquirerent acerbitatis & acrimoniæ venenatæ, ferendi forent. At cum ſæuiſſimis exugantur parenturque ignibus, adeo vt nulli ferè metallo parcant, ligna corrodãt, vitra comminuant, cutem exulcerent & in veſicas attollant, non raro etiam carnes corrodant, quis non agnoſcat ex bonis & tutis rebus factas eſſe aquas nocentiſſimas? Ipſi ſuis diffidunt rebus adeo, vt vix ſeruare eos ſuccos præterquam in vitris denſiſſimis ſoleant, & non niſi minimam quantitatem porrigere auſint, eamque cum diluto copioſo, quæ res non niſi in certiſſimis venenis a medicis ſolet obſeruari. Quot tu cenſes hominum millia ſanata olim fuiſſe ſine chymicis, & adhuc hodiè in vniuerſo mundo conualeſcere? Si medicina optimè caruit chymicis per tot ætates, & loca, quæ intemperiæ agitent medicum, vt ea in artis vſum aſſumat? Felicius agitur cum his, qui ne nomen quidẽ chymiæ audiuerunt. A peſſimi enim veneni exulant ſuſpicione. Cogita quæſo quanta vis veneni ſit eius, quod in præſens iuuare creditur, ſed poſtquam à confidentibus & temerariis aſſumptũ eſt longo tempore pòſt incautam naturam adeo opprimit, vt noxa ſit inemendabilis. Hoc modo

Para

Paracelſi laudanum infame factum eſt. Hoc modo & alia. Quid enim poteſt ſpei & ſecuritatis ineſſe illi, quod ante præparationem fuit indubitatum venenum? Finge chymica arte tolli aliquid. Certe ſi actum in præſens remoratur, aut propinquã potentiam retardat; remotiorem certè non poteſt auferre niſi re totaliter destructa. Nihil perit totúm. Nec quoduis corrumpitur in quoduis, ſed omnia in determinatum ſibi, quod prioris aliquã & adhuc obtinet potẽtiam, ex qua poteſt eluctari & in actum venire. An non animaduertiſti ſcammoniam toties corruptã etiam in lacte purgare? Ne dubites ergo ex venenata re confectam eſſentiã chymicam ignibus non totam exuiſſe naturam, ſed ex proxime veneno ſaltem factum venenum remotè, quod tandẽ interficiat, ſtatue. Ita cinabaris primũ iuuare creditur, ſed tandẽ emergit pernicies, in his qui improuidè copioſeq; deuorarunt, nec ante noxam inflictam egeſſerunt. Philoſophos ſe nominant chymici. In hoc quanta eſt vanitas? Si vel vmbræ ſomniũ de philoſophia chymiæ ineſſet, eamne in deſcriptione artiũ philoſophicarum putes præteritam? Quò qs philoſophus præſtãtior eſt, eò ſe alieniorem a chymicorũ cohorte exhibet. Omnib. numeris ea ſapientia, quanta cadere in hanc naturam poteſt, eſt abſoluta à veteribus: omnem eſt complexus Plato, Ariſtoteles, &

reliqui.

reliqui. De chymia quid hi? Tantum nempe quantum de carbonaria. Si aduertas poſteriores philoſophos, quibus artificium innotuit, condemnatum deprehendes. Tot ſunt academiæ in vniuerſa Europa. Nullibi valet eius artis profeſſio, nempe indigna iudicata eſt liberaliũm & ingenuorũ ſtudiorum conditione. Et quis eam in publico ſapientiæ ſuggeſto pulpitiſq; doceret, ni vellet fraudum & impoſturarũ magiſter, imò barbariei buccinator proclamari? Nõ conueniunt caſtis ſcholis portenta illa vocabulorum, Turbith, Mercurius, Elixin, Rebis, Et quæ aliis vocibus longè aliud dicuntur indicare, ſulphur, elementa, eſſentia quinta & his ſimilia, quæ quantum habent rei, tantum impoſturæ & mendaciorum. Non in philoſophorum poſſeſſione chymia eſt, ſed in hominum improbiſſimorum. Horum collegia admittũt quicquid vbiq; eſt fugitiuũ. In his ſunt aurifices nefarii, & adulteratiauri argentiq; rei; in his flagitioſi & à diuina vocatione deſciſcentes capellani; Organicines temerarii, vetulæ putidæ, barbitonſores olidi, rabulę periuri, & ad peierandos Deũ hominesq; parati; aſtrologi mendaciſſimi; monachi maximè deliri, Iudæi virulenti ſceleratiq;, magi peſtilentes & eius generis multi. Quò enim veſanior quiſque eſt, & vanitatũ ſtudioſior; eò chymiæ deditior: quò ordinis ſui deſertor cõtaminatior; eò chy-

eò chymiæ appetentior, vt ita chymiæ profeſſio ſit proluuies & chaos impuritatis & fecũ humanarum,& hominũ nefariorũ illecebra portusq́;. Huic tu locũ inter philoſophos cócedas? Cũ tali homine tu vel ambulare nauigaréve ſuſtineas? Ad autorẽ Hermetem refertur quem eximia ſapiẽtia prædítum fuiſſe narrant. Si ſcripta eius intúearis, tenebrionem agnoſcas, & mundi deceptorem. Si enim bonus fuit, & poſterorum conſulere commodis voluit, non debuit caligine inuolutam doctrinã ſpargere, & ampliſſimis promiſſionibus nihilominus ad inexplicabiles perplexitates lectorem inuitare, quæ res poſtea camarinã impoſtorum progenuit. Paſſus ille fuit ſe triſmegiſtum appellari, aut etiam ipſe Mercurii, qui pro Deo habitus eſt, nomine arrepto ſibi iſtud impoſuit vocabulum. Hic quid non latet arrogantiæ? quid non impietatis? A tali arbore poteſtne bonus legi fructus? Si conſideres ſucceſſores & totam illam turbam ψελλιζόντων philoſophorum, ipſam obſcuritatem, & pluſquam Ægyptias Cymmeriasve inuenias tenebras. Semper fuit magiæ, Idolomaniæ, & ſimilium artium ſuſpecta Ægyptus. Matri conſentit filia. Itaque nullus erit chymicus quin tergiuerſator ſit, magus ſit, impoſtor, tenebrio, & falſa pro veris ſpecie religionis cũ magno ſupercilio proponens, quales homines ſi nunquam euomuiſſet

muiſſet tartarus, à tartareis medicinis & inſidiis viueremus immuniores. Perſuadent ſimplicibus ſe auri ſuccos & quintas eſſentias apparare. Item & modum aperiũt nulli. Quis ſutor tam eſt extremè inuidus aut delirus? Veritas gaudet propatulo, nec ſubterfugit peritorum iudicia. In publico opera ſua æſtimanda proponebat Apelles, nec diſſimulabat artem. Chymici cenſores ferre non poſſunt; artemque tam occultant quam ſacra Eleuſinia. Si diſcipulum profitearis; oportet te ſilentium iurare, non aliter ac hi qui in improbiſſimorum nebulonum ſicariorumque admittuntur gregem. Cui bono non eſt illa res ſuſpecta fraudis? Sanctitas, maieſtas & bonitas non ita in anguſto ſe premunt, ſed agnoſci quærunt. Illi nullam aliam celandi cauſam habent, quam vt omnium rerum imperitiſſimi, vaniſſimique cum ſint nihilominus neſcio quam ſapientiam & maieſtatem mereantur, quod ſtudium primitus fuit, omnis arrogantiæ & mendaciorum parentis mali genii, cuius naturã id ſapit, quod ab eo eſt progenitum aut informatum. Et ne dicas me verbis te circumducere aut circumſcribere, conſidera portentoſa ipſorum præconia. Eſſentiis & medicinis ſuis ſingulis ea aſſcribunt, quæ nec diuinis nec humanis literis vlli creaturæ aſſignata legas, & quæ ipſa refellit experientia. Aſſyluanus, quem noſti,

ſuæ cinabari quid non tribuit? Quid vſpiam eſt blandimentorum, facilitatis, auxilii, quod non cum maxima nugacitate & precio immenſo vili abiectoque arrogat pulueri? Alius quidam oleo ſalis per quod ſit factum aurum potulentum, aut diſſolutum incredibilem ad omnes morbos omnis ætatis, ad paſſiones omnes efficaciam aſſignat. Mentiri iam impudenter vir bonus erubeſcit. Putaſne illos eſſe bonos? Obtunderem te ſi tibi faciem diſciplinæ paracelſicæ depingerem. Omnia monſtra in vnum congeſta cum ſumma audácia, temeritate, inſcitia, impietate, veſaniaque audires. Itaque deſines tandem nimis admirari chymicos, nec facilè te credes arti fallaci. Hæc placuit tecum hac epiſtola diſſerere. Si contexenda foret oratio Ciceroniano genio Philippicæ numemero longè vincerentur. Tu tibi de impoſtoria chymia caue, & me monitore ab illa abſtine.

Vale.

EPIST. II. DE VERÆ CHYMIÆ HONORE.

AD SOLERTEM VIRVM D. Coſman Pegandrum Medicinæ Doctorem Stadæ.

VEtvs dictum eſt, quod turbare mouereq; Remp. ſit facile, & penè hominis cuiuſuis; at reſtituere & in tranquillo ponere ſolius Dei. Viſus ſum ſuperiore ad te epiſtola vim intuliſſe ſocietati chymicæ, atq; ita perturbaſſe profeſſorum huius artis mentes, vt ſi placandæ ſint rurſum, opus eſſe videatur θεῶ ἀπὸ μηχανῆς, quo pacto in fabulis explicatu difficillimis fieri ſolitum ab antiquo legimus, verū, mi Coſma, quicquid dictum acerbius eſt, id non ingenuinam illam veramque, quę ſyncero, infucatoque vultu virginē prę ſe fert caſtiſſimam iuxtà ac ſua natura venuſtiſſimam, ſed in ſpuriam adulteramque, & ſceleratiſſimarum artium mangonio vndiquaque oblitam & ceruſſatam cum indignatione dictum intortumque arbitrare. Hanc in publico proſtituere, nudatamque & cum dedecore perpetuaque ignominia ſub tigilla miſſam, & tandē in crucem ſublatam è medio tollere animus eſt: illā verò omnib. bonis ita commendatam amabilemq; & fami-

liarem reddere, vt regio honore,& conſuetudine honeſtorum caſtiſſima in maieſtatis dignę reſplendeat ſolio, ſitque humano generi ſaluberrima. Diuinę verò ſapientiæ deprędicandæ maximo adiumento. Sępe cum vulgo locutus ſum, fateor, & ita de chymia diſſerui, quaſi ἐν γένει abſque diſtinctione attingerem vniuerſam. Sed tu relicta vulgari mente moreque cum Socrate in plura inſpice, & vt bene doceas, bene item diſtingue. Vna quidem eſt ars ipſa perpetuo ſecundum eſſentiam, ſed non vnus eius apud quoſlibet habitus colorque, quemadmodum omnibus penè magnis euenit artibus veluti Theologiæ, Aſtronomię, Phyſicę, Iuriſprudentię, Medicinę & reliquis. Incorruptę hę, totęque ſunt in poſſeſſione bonorum. Malitioſi & lucro turpi inhiantes, pręſtantesque ſcientias in quęſtum ſordidum vertentes aut apparentem quandam dignitatis illorum ſpeciem ſibi aucupantes, mutilatas, diſtortas, & plurimis fraudibus, fucis, ineptiis, & alienis illicitisque ſtudiis inquinatas & fœdis mendaciis conſpurcatas, ſub nomine prioris circumgeſtant, oſtentantque quanto maximo cum faſtu & ſupercilio poſſunt. Hęc res effecit, vt, cum natura nihil haberet niſi γνήσιον καὶ ἀληθὲς καὶ ὄν; admittendum in vſu fuerit καὶ τὸ ψευδὲς, καὶ κίβδηλον καὶ φαινόμενον ἢ σοφιστικόν. Ratio ipſa,

que

quę logica arte ſeu Dialectica vocata comprehenditur, non potuit carere axiomatis falſi fortuitique iudicio, quanquam in omni arte nihil valeat niſi quod cum rerum conſentit natura. Degenerant autem eiuſmodi deprauationes in tantum à veris propriisque, vt etiam ſubſtantia ſint alię. Itaque iure poteramus adulteram illam chymian, quę eadem eſt cum hodie vocata paracelſica, quouis vanitatis nomine appellare potius, quam dicto. Sed ferre honeſtę ſcientię nominum abuſus propter ſimilitudinem coguntur, omni mundi ætate vitiis in locum virtutum aſpirantibus, id quod ἀρχέκακον illum genium ab initio tentaſſe non eſt obſcurum. Sperem te breui hac apologia contentum, non deſideraturum plura verborum lenocinia, niſi iuſtitia ſuam laudem verę quoque chymiæ tribuendam admoneret. Commodiſſimè id fieri poſſe puto, ſi & macula ex vituperio paracelſicę in genuinam artem impingi viſa abſtergatur, & eâdem operâ, quantum ſinit epiſtola, gloria dignitasque huius illuſtretur. Faciam ita & verborum compendium, & iudicia minus attentorum certiora. Quod ergo primum infamiæ chymicæ fuit argumentum? Aduerſatum inquam, fuit chymiæ a primo eius exortu. Quomodo verò aduerſatum? Vt naſcenti inter homines Eu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

angelio. O pręclarum verę artis teſtimonium; O iuſtum vero adulterinæ, at cum Euangelio non comparandum ſupplicium. Quæ maieſtas ſanctitasque vnquam in mundo fuit tam à ſceleratorum hominum conatu tuta, vt inuiolata permanſerit, cumque ſit diſſimillima improbitatis, non ab hac ipſa extremo odio attentata? Quod bonum ſanctumque eſt, non niſi malus impiusque inuiſum habet. Malorum ſemper fœcundior ſeges eſt. Si itaque optima artium hoc eſt paſſa, ſplendor eius apud bonos eſt commendatior. Itaque bene cum re ſanctiſſima Euangelio nimirum, caſta comparatur in pari chymia. Vtrique apud ſanctos bonosque locus eſt. Vtraque idem à profanis patitur. Plebeia illa vox eſt; vulgi eſt. Et in vulgaribus faſtis annotata de more hominum, quo id ſignari ſolet quod eſt proclamatius; quod iactari in publicum ſolet crebrius. Quod ergo vulgatæ deſcriptiones contemptum fuiſſe paſſim deprædicant; id dignitatem quandam in occulto habet. Quo enim diuinius nobiliusque quid eſt, eò plebi eſt vilius abiectiusque, quia à captu eius remotius. Plebs nil celebrat niſi quod ſit ad ſaliuam, ſeque craſſo fumo in oculos conijcit. Quod foris non ſplendet, ſed in abdito nobilitatem ornamentaque gerit ſua,

damnatur. Sapienti verò & bono iudicium non in fronte extat, nec is fulgorem intuetur externum. Plerumque fucatum eſt, quod foris fulget. Sed vt hoc plebi ſolemne eſt & gratum; ſapientibus vero ſuſpectum contemptumque; ita donem vltrò veram chymiam omni ſemper honore, maieſtateque apud ſapientes excelluiſſe abundaſſeque, at non apud plebem, cuius iudicium ab omni ſapientiæ memoria fuit infame adeo vt Græcorum ſapientiſſimus ſcribere non dubitauerit, non eſſe iudicandum multitudine, quod bene iudicari debeat, ſed ſcientia, quæ ex ipſo cauſarum eſſentialium exoritur penetrali fano, & non eſt niſi in poſſeſſione ſapientum. Sed mitto illud. Vituperium ſecundum quodnam erat? Fini nempe quem & Deo & ſocietati debemus, dicebatur obſtare chymia, argumento inter Vulcanicas ollas latibuli. Hoc ipſum profecto germanum eſt vitioſæ illi inſcientiæ. A vera arte tam eſt alienum, vt nihil alienius. Si qua Dei gloria in natura abſcondita latet; eam producit, & palam oſtendit chymicus naturæ rimator contemplatorque verus. Quî fieri poſſit, vt non aſſequatur diuinitatis ſcopum? Dicitur Archimedes ex inuento quodam fere plebeio tantum cepiſſe lætitiæ, vt nudus è balneo in publicum e-

ruperit proclamans ſuum εὕρημα. Commune nempe voluit id eſſe ſociis, quod inuentum erat ſoli. Longè feruentius ſtudium eſt vero chymico. Operatur is in officina ſua, rerum naturalium penu inſtructiſſima. Abſolutum opus vbi eſt, non id abſcondit, ſed promit ad vſus publicos; rationem miraculorum exponit, itaque locat, vt ſatisfactum ſibi putet humana conſuetudo. Inſitum hoc eſt mentibus bonis, vt operum ſuorum fideles requirant teſtes & comprobatores, quo pacto & ſaluator dicebat, quod lucem amarent. Itaque ex officio abſque pudore bona ſua communicat chymiæ profeſſor, & iudices peritos ferre poteſt. Qui falſarios agunt, & adulteria chymica coquunt, non quidem ita latitant, ſicut in cubiculis ſubterraneis glires aut talpæ; Nam vel in forum prorumpere cum impoſturis ſuis non erubeſcunt. Verum operum rationes adeo occultant, vt magni conſtet vel verbulum. Non enim poſſunt lucem ferre adulteria furtaque metu pœnarum, & redargutionis. Vero chymico eſt ingredienda officina, ſed non ita vt ad vitæ vſus reliquos ſit inutilis. Varia ſunt officia humana, ſed omnibus ſua tempora, ſuæq; horæ. Ita colit artem, vt non negligat τὸ περὶ τὸ θεῖον, non rempub. abiiciat, nec domum deſerat. Vbiq; ſuo tẽpore in ſtatione

apparet fidelis, quod non deprehendas in Paracelſicis, qui ab his ſe ſubducunt vni lucello impoſturæque intenti, qua captata ad ſua regrediuntur antra, & non raro vno in loco plus quàm ſemel non apparent. Verbis quidem ſibi arrogare omnium ſciẽtiam ſolent aliqui; ſed quibus rem credere nequeas, niſi peſſundare omnia velis, & diuina humanis miſcere. Hi arcent acceſſores à ſuis latebris, & mille ambagibus & repagulis laboratorium ſeu ergaſtulum, quod vocant, ab hominum atque etiam amicorum aditu remouent. Memini me aliquando petere conſpiciendam fornaculam philoſophorum & arcanorum tripodem, ab eo qui ſe mihi amiciſſimum ſimulabat. Sed repellebar. Aſſyluanus dicitur in ſecretiſſimis furnulum cinabaris coquendæ habere. Verus chymicus non arcet ſapientes bonosq́; ſed ingredi more Heracliti iubet, quandoquidem in naturalium reſolutione manifeſtiſſimè appareat mirabilis illa Dei potentia, quam ipſe autor iubet inde ſpectare, & ſumma proſequi gloria. Verborum inanitatibus conſultores ſapientiæ ludere, non eſt niſi hominum flagitioſè ſcurrilium, quod quàm procul abeſt à veræ chymiæ conſuetudine, tam propè accedit ad Paracelſicam quæ eſt ſpuria & adulterina. Hæc audet etiam commentaria ſcribere, & onomaſtica, ſed quæ ipſa obſcuritate ſint obſcuriora,

adeo vt nec hinc nec inde aliquid reportare certi poſſis. Verte ergo iſtorũ ſtultorũ ſermonẽ, ipſosq; canes nomina quia ſanctuariũ Dei fœdè permingunt & allatrant turpiter mordentq; rabide, ſi quos verę ſapiẽtiæ indagatores incidunt. Voca eoſdem porcos propter turpitudinem immundam, & grũnitum omni imperitia imperitiorem, quandoquidem de naturæ mirabilibus interrogati porcinam grunniunt ruditatem, cumque gryllo Homerico lutum ſuum pluris faciunt, quàm quicquid eſt in abditis veræ ſapiẽtiæ balſami generoſi. Vera chymia humanitatem colit, aſperitatẽ moroſam odit; affabilis eſt; blanda eſt, nihilq; cum ſupercilio agit; nihil cum ſimulatæ religionis prætextu. Vnũquodq; naturæ & artis opus ſuo nomine & honore decorat, nec pro margaritis ſtercora vẽdit. Itaq; chymicus talis nec hominẽ exuit, nec in ſues, luposq; ſe transformari ſinit. Quod ſi gloria quędã inde eſt, cũ intra profeſſionis humanæ cãcellos manens, vera propriaq; tractas, exercesq;, non erit ſuæ expers laudis chymicus. At deſtruit naturã chymicus, ſeq; eius declarat inimicũ. Certè ſi id ex affectu diuinis aduerſante & quicquid factũ à Deo eſt, infectũ volente deteſtanteq; dimanauerit, nõ poſſim facere quin damnem eiuſmodi conatum. Si item contemtu integrorum, & profligata ea fiat malicia, qua vtuntur Paracelſitæ negãtes in

inte-

integris aliquid ad ſalutem humanã preſidij eſſe, imò omnia eiuſmodi veneni rea peragentes, tantum vt iuſcula ſua eò obtrudant plauſibilius vẽdantq; carius, improbem id quoque, & iure deteſter. Sed ſãnctum eſt chymici veri propoſitũ, vtile eſt & humano generi proficuum, tantumq́ue non aduerſatur diuinæ creaturæ, vt ex ampliſſimo mundi campo cum reuerentia petat operi ſuo materiam, in qua inueſtiget arcana maieſtatis Dei, & non foris tãtum, ſed & intus miracula naturæ cognoſcat. Non ignorat curſum mundi. Scit puras eſſentias propter varias cœli terręq; iniurias, & incommoda non potuiſſe ſine adminiculis naſci, ſicut in animaliũ genere multa foris accerſita ſunt adiumenta ad noxas propulſandas. Ea tollit ad vſum commodum ſalutaremq́; non chymia tantum, ſed & coquina, ſtatuaria, & totum artium manuariarum genus. Has naturæ ad vſum humanum diuinumq́ue repurgationes, adeo non improbat eius creator vt & ipſe monſtrauerit, iuſſeritq́ue reiectanea ſeponi. Non ex totis fiunt generationes nutritionesq́;. Quanquam ergo ſingularis rei integritas iſto deſtruitur opère; nõ tamẽ τὸ καθόλου, καὶ εἶδος. Sua eſt cuiq; perfectio, quę naturæ integritatẽ ad contẽplandum foris cõmendat exornatq́;. Arti vſum ſpectanti illa eſt imperfectio. Relinquitur naturę gloria ſua; ſed ne quid detrahat arti, & non

Cur non naſcantur pura eſſentia.

&c non minus eſt Dei donum, quàm natura eiuſdem inuentum. Longè autem diſtat veri chymici operatio à fucis Paracelſitarum. His ceruſſata competit facies, nõ chymico. Solent illi pro eſſentiis quintis ab omni elementorũ contagione, vt aiunt, liberatis vẽdere quoduis opus ſuũ. Impoſſibile hoc eſt omni arti humanæ. Itaq; fieri nequit, quin mendacia pro veris offerant. Chymicus verus quodq; artis effectum ſuo oſtẽdit vultu, &c nõ tranſcendit veritatem, ſicut &c ſtatuarius candidus non pro aureo Mercurio gerit ligneum. Ab elementis productum, horum claſſe non eximit, &c in cœlum tollit. Oleum pro oleo, aquam pro aqua probat; &c partes eſſentiæ materiatæ non euehit in honorem dignitatemq; &c preciũ eſſentiæ integræ. Non eſt ergo vt hinc aliquid dedecoris ſibi expectet chymicus. Naturalibus ſuam donamus perfectionem; ſed non eſt ignotum naturam à lapſu multum admittere inordinati, ſiue id fiat materiæ contumacia, in qua elaboranda citius deficit virtus quàm ad finem perueniat; ſiue externo impedimento, aut non reſpondentibus his, ſiue quibus actus vltimus non ſolet eſſe præſtò. Quicquid id ſit, ars tentat amoliri, errataque corrigere. Hoc cùm agricolæ &c animalium curatores præſtẽt magna cum laude, poteſtne in chymico vero vituperari? Sed &c alia perfectio naturæ in ſe eſt, alia ad

Paracelſita.

Perfectio duplex.

vſum

vſum in penuria commodarum rerum. Sat perfectum forma naturali olus eſt; ſat perfecta bouis caro: At vt bene nutriat, ab arte accipit commoditatem. Tauros non comedimus, ſed taurorum carnes igni elixante præmollitas. Poſt peccatum Deus ipſe non integra oue amiciebat Adamum, ſed detracta pelle, &, vt credi par eſt, longè artificioſius diuina arte elaborata, quàm fieri à pellionibus noſtris fortè poteſt. Ita in exaranda lege non rudi vtebatur lapide, ſed affabrè per digitum Dei exculpto. Omnino quod natura perfectum eſt, id ad vſum ex arte eſt imperfectum. Nulla ergo hinc exurgere poteſt chymico vero cõtumelia; ſed potius tanto excellentior gloria, quanto eminentior eſt perfectio ad vſum imperfectione. Quorum verò hominum ſit pro artis opere genuino fortuita quæuis, eaq; falſiſſima exponere ſaluti ſociorum, repetitione nõ eget. Cum ſummo vitæ fortunarumque diſpendio, & ægrotantium tormentis, lachrymisq; id de Paracelſitis eſt compertum, quorum ſimilior is eſt, qui in opere oſcitantior, & in vſu flagitioſior. Miſtura natiua non in omni perit opere. Extractus Rhabarbaræ ſuccus craſi effectuq; cõſentit cum integro. Vbi verò deſtruenda eſt; non agitur ſine certo & conſilio & ſcopo. Non ignoramus χύμυς in quauis re eſſe diuerſos, eosq; non vna inſtructos facultate. Conſtat

Miſtio non ſemper tollitur.

Etiam craſi percunte nõ fruſtra laborat chymicus, certò collimans.

& hoc

& hoc, quod non corrumpatur quoduis in quoduis, ſed in id quod prioré adhuc redolet ſubſtantiam. Si ergo id quærimus elicimuſque quod præſenti neceſſitati inſeruit rectè; etſi miſtura integri periit, non eſt illegitimum artis, adeoq́ue abſonum à natura opus. Paracelſitarum id crimen eſt. Hi enim obiter & ſecundum deprauatæ mentis opinionem operantes quid producant parum habent penſi. Omnia illis ſunt pro omnibus. Ideo & omnia omnibus accommodant, ne quid veſaniç vſpiam eſſe putes, quod in ipſis non ſit. Induſtria artificioſa, & electio in conſpectu habens finem certum, quo operando collimet, non eſt ſine veri chymici ſapientia. Hæc quanta meretur prçconia? In quo admirationis culmine non requieſcit? Falſum dicit qui verum chymicum vſq; ad vltimum deſtruere pronunciat. Non erat hoc artis. Termini ſui ſingularum ſunt præparationum, in quibus ars ceſſat. Inde tam ſtudioſè de regendo igni, & adminiſtrando calore præcipitur: hinc articuli mutationum, & ſigna tam inculcantur fideliter. Vrgent quædam ignibus ſeuerioribus, quibus res fugacior ad cineres & elementa redigeretur; ſed ſpectatur ſimul concretionis tenacitas, quę in aliquibus vinci non poteſt, niſi multo feruore. Hinc ſtatue chymico propoſitum vt plurimum eſſe non miſturam

Chymici propoſitum.

tam ſoluere, ſed hac ſeruata concretionis materiatæ ſeras & vincula diſsipare; quo aditus ſit ad intimam ſubſtantiam, quam natura arctiſsimo concluſit complexu, ne externis pateret facilè iniuriis. Huius gratia modo adhibentur ignes, illíque pro cuiuſque firmitate, magni, mediocres, parui; modo alia inſtrumenta. Euaneſcit itaque & hæc verę artis calumnia, qua dicũtur omnia fieri ex omnibus. In Paracelſitis autem non eſt calumnia, ſed obiectũ verum. His enim iure cõpetit demens operatio. Hi omnia ex omnibus fabricare veſano ridiculoq; conatu multis iam annis attentarunt, niſi quod ſuo aliorumque malo edocti quidam propius aliquanto ad veros artifices accedere conſueuerunt. Quas formas largiatur chymicus beneficio inſtrumentorum naturalium & artificialium in propatulo eſt. Naturam mouet per naturam, ſicut agricola & hortulanus ex pomo producit pyra. Hæc forma non aduerſatur creatori. Eſt alia artis nudę. Hæc materię potentiam ſpectat, & conſilio prodit. Neque huius pœnitere creatorem poteſt, vt qui homines artibus donauit & libera agendi voluntate inſtruxit. Si inde formarum dator dicitur, hoc cum laude creatoris, non cum ignominia coniunctum eſt. Is enim eſt prima cauſa. Si honorare humanum genus iſto modo voluit, quis inuideat? Nouas naturę ſpecies

Forma chymica.

non producit homo; at nouas artis operando efficere nihil habet abſurdi. Concedenda illi eſt & tranſmutatio quædam per adminicula naturæ, cùm vel ex potentia propinqua vnico motu procreat à priore diuerſum, vel ex remota motibus pluribus, veluti cùm ex aqua vinum per vitem facit & ex olere carnes per nutritionem animalis. At ſubito & vno motu remotas δυνάμεις immutare & ſtatim præſtare actum, aut etiam ex priuatione habitum ante nunquam in natura aut arte humana compertum nec poſſibilem elicere, ne præſumit ſibi quidẽ qui bonus eſt. Scit enim hoc in ſolius Dei potentia reſidere. Itaq; aridos baculos flore & fructu vnius momenti ex intimo penu nõ donat; neque pedum paſtorale in naturalem vertit anguem, neque ſiſtit ſolem nec ferrum ponderoſum per ſe citra magica incantamenta, aquæ innatare iubet. Multos autem Paracelſitas eò impietatis prolapſos eſſe nõ ignoramus. Magica enim cùm profiteantur vnà, non abſtinent iſta veſania. O ſyncerum ergo veri chymici propoſitum, artéq; ab omni eiuſmodi delirio longè exulantem. Eſſe tantas naturæ diuitias, vt ab vno homine perueſtigari nequeant omnes; Multa etiam in philoſophorum monumẽtis extare, quæ ſi cognoſcenda ſint debitè, nihil chymiæ relinquant temporis, largior haud inuitus. Sed neque vnius hominis ea

Homo poteſt tranſmutare quadam vt ouum in pullum.

Chymicus non ſe immiſcet alienis profeſſionibus.

pro-

prouincia eſt. Multa eaque diſſentanea rectius aguntur à multis. Itaq; & in eccleſia & officia & perſonæ ſunt à diuo Paulo diſtinctæ. Quid ſi res vnius profeſſionis ſpectes, quæ tamẽ plurimis conſtat membris; ſuam portionem ſuo locabimus tempori; & diuerſis conficiemus id quod eodem non poterat. Alia hora docebimus in ſchola & magiſtrorum placita interpretabimur. Alia manu adminiſtrabimus naturarum anatomias. Multitudo & copia non eſt in mora. Satis eſt ſi quæ turpiter ad vſum humanæ vitæ ignorantur, inueſtigentur probè. Maxima pars ad Theoriam cœleſtem eſt reiicienda. Qui in imperfecto viuendi & potẽtiarum manco miniſterio perfectionem exigit, is ſe parum æquum rerum iudicem eſſe declarat. Veterum dicta explanare illis difficile eſt, qui artis vſum non fecerunt laudatum, quanquam dandum aliquid ſit iniuriæ temporum, quibus hiſtorica fides eſt labefactata. Artium ſunt incrementa mirifica; varietates etiam per tempora, regiones & ingenia multæ. Vbi non extat hiſtoria; non facilè te expedieris. Nam temporum conſuetudo non eſt in omnibus conſtans. Si itaque etiam vbi optimè noſti artem in interpretando volumina aliena hallucineris, non id vndiquaque eſt infame. Remedio eſt præſentis præcepti ſecundum præſentem conſuetudinem inculca-

Veterum dicta obſcura.

culcatio, vt ſi non aſſequaris quo illi modo ad finem peruenerunt, ſaltem non ignores quo commodè iam queat perueniri. Quod loquendi genus attinet, vix poteſt fieri vt vnus omnium calleat linguas. Si nos decepit interpres, vbi error valdè eſt fœcũdus, quid tum poſtea? Non laborãdum cenſeo in obſcura dictione, vbi in luce eſt τὸ πρᾶγμα. Omnia puncta & apices literarum ſolicitè diſquirere, ſuperſtitioſi eſt, & homini vetuſto omnem errandi potentiã cum magna veſania detrahentis. Arrogare ſibi omnium inuentionem nouã, ita vt veteribus vel nihil vel parum relinquas, deliri Paracelſi eſt, & huius aſſeclarum, quos quia ſtulticię ſe cõſecrarunt totos, in hoc cenſu relinquamus. Damnum corporis, & valetudinis iacturam non incurrit chymicus niſi imprudentiæ culpa. Qui temerè periclitari volet, artis exercitium præ ſe non ferat. Sed & vix omnia caueris humana. Itaq; ſi chymicus manum fortè prunis aduſſerit, ſitne illi minus conſilij aut adiumenti, quam barbitonſori? Qui publicæ ſanitati conſulere per apparatum medicamentorum variorum conſueuit, is ne nihil pro ſe cõcinnauerit? Nec is ſe Deo iam capularis factus aut vitæ deſperatione addicet. Etiam in ipſa officina ſacrarium eſt. nec ſubtrahet ſe hominibus, qui omnem ſuam operam in horum adiumentum confert. Paracelſitæ damnosè operantur. His

Genus loquendi.

Valetudo chymici.

mala

mala mens eſt, mala manus. Hi fucos & impoſturas machinantur lucri turpis cauſa. Hi die nocteque cogitant, quo pacto, ſicut de ſuo conterraneo ſcribit Cardanus non melior, imponant ſimplicioribus, & vitreas maſſas pro precioſis gemmis maximo diuendant precio. His remittatur vituperium. Si ingenium tibi eſt ſummum, ne dubita chymiæ veræ te tradere, & parachymiæ ſubducere. Si vlla artium requirit induſtriam excellentem, chymia poſtulat; Si vlla à ſtupidiſſimo quoque poteſt adminiſtrari, parachymia quæ eſt Paracelſitarum, poteſt. In hac enim quiſque perditiſſimus proficit egregiè, cùm per ſe procliues in deterius mentes, facillimè arripiant ſceleratas machinationes. At in illa nemo proficit laudabiliter niſi qui eſt admirabilis ſolertiæ. Vbi profecerit, nihil ei poteſt ad ſummam deeſſe laudem, ob artis valdè diuinæ & à vulgo remotiſſimæ admirationem admirabilem. In contemtis ſunt Paracelſitę. In hos cadunt omnia vanitatum portenta; quicunq; in artibus abortus eſt, & abominatio, is eſt proprium Paracelſitarum & pabulum & incrementum. Horum ceruices & caluarię paſſim in crucibus patibuliſq; ſpectãtur. Hi ob facinora metu ſuppliciorũ publicorũ veneno ſe perdunt ipſi. In hos ſunt intortę Iurecõſultorũ ſententiæ. Omnia dixeris conuitia, ſi Para-

celſitam dixeris, vtpote cuius nomen ſatis eſt ad extrema tormenta. Chymicus verus eò altius honorum aſſequitur faſtigium, & in throno gloriæ ponitur eò ſublimius ſpectandus, quo deterior & ſceleratior pœna eſt Paracelſita. Tolluntur aliquando in altum etiam huius factionis mancipia, & lateribus principum iunguntur, ſed iure morionum. Veſtitu in aulis magnatum eleganti & oſtro ſuperbiunt; ſed lege ſcortorum. Irrepunt in thronos potentum; ſed quo pacto virtutum ſedem occupare ſolent vitia. Tolluntur in ſublime, ſed vt lapſu grauiore ruant. Scortum Alexándri non erat honeſtius, quia regis temulenti animum ad inflammandam regum orientis aulam incitabat, & cenſura ſua ſapientiſſimorum premebat calculos. Cõſpicere adulatores pernicioſiſſimos, & ſtultiſſimum quemq; inter ſtipatores régios conſiliariosq; coguntur ſapientes, ſed eorum mores non approbant. Vt vita ſtudíumq; talium ad pompam & fucos comparatum eſt; ita nec honor ſolidus eſt, nec ſplendor ſyncerus. Veri chymici gloria non amat aularum magnificentiam, ſed præſtantiſſimorum coronas philoſophorum; & fructus huius pullulat etiã poſt obitum, cum honorificentiſſimâ poſterorũ ſententiâ eius perpetuo floret memoria. Paracelſici aut cum vita perdũt gloriam, aut ante finem de culmine deturbantur,

tur, aut eam merentur poſteritatis memoriam quam ſceleratiſſimus quiſq;. Ipſe certè Paracelſus etiam adhuc viuus audiit ab Imperatore Maximiliano impoſtor nefarius, & fuga ſe propter homicidia ex Bohemia ſurripere coactus fuit. Aſſecla eius Dorneiſerus etiam à ſceleratiore crimine non abſtinuit nō tantum transfuga periurus factus, ſed & religionis, quam ante profeſſus voce ſcriptoque fuerat deſertor ignominioſus. Hem tibi Paracelſiſtas. Verorum chymicorum fama optima nunquā intermoritur. Sed auriperdę vocantur chymici, qui & ſuā ſubſtantiam & aliorum in fauillam vertunt. Qua nota rectius deſcripſeris Paracelſitam? Euolue mundi hiſtorias, & præſertim Germanorum principum excute argiua; vix numerare poteris precioſiſſimorū theſaurorū pondera, quæ à Paracelſitis nefariè ſunt interuerſa. Scribit Arnoldus ſummus chymicus, ipſam artē non eſſe ſumtuoſam: in ipſo aurificio experimentum cōpleri poſſe auxilio quinquaginta nummorum aureorum: ſubeſſe verò lucrū honeſtum tantum, vt nō opus habeas aliorum ſcrutari & exhaurire loculos. Quin ergo tandē ſapere incipiunt magnates & nummis ſuis à Paracelſitarū inſidiis cauere? Hoc perſuaſum eſt mihi certiſſimum ignorantię argumētum & impoſturarum ſignū eſſe multi auri & ſumtuum grandium poſtulationem. Itaq; de Paracel-

Chymia nō ſumtuoſa.

ſitis id totum intellige, quod de chymicorum pernicioſo conatu miſeriaque dictum erat. Quod ad medicinā ſpectat, inficias ire nemo poteſt, etiā verum chymicum ad eam cōferre plurimum emolumenti. Et ſi medicus ſimul eſt chymicus, ornamentum eius eo eſt illuſtrius, quia cum inuento præclaro optimè vſurpandi cōiungit rationem. Non tamē vulgaria parat chymicus verus. Nobiliſsima ſunt eius artificia, & ob id virtute præſtantiſsima. Quo longius fugiunt imperitorum ciniflonū turbam. Nam quo præſtabilius quid eſt & efficacius, eò maiorem in vſu requirit ſapientiam, neq; quicquam poteſt ferre temeritatis. O inſanū Paracelſitarū & infelix genus. Agnoſcere quodāmodo potuit chymicas eſſentias cœleſtē ſortiri præſtantiam, & virtutē cœli æmulari. At videre non potuit, quā nihil in cœlo ſit temeritatis, quā nihil fortunæ; vnde conſequens eſt nec in eſſentiis chymicis tale quid inueniri debere. At illa fex in diē & operata eſt, & medicata, non ſolicita de vllo boni circūſpectiq; vſus ſigno. Sed cū medicinæ iuuādę eſſe chymian dico, ne putes tam ſeruilē eſſe artem, vt nihil habeat dominij nec quicquā ſplendoris proprij & magnificentię. Si ſeruitium & miniſterium contemtam redderet ſcientiam, cùm omnes ſibi mutuò ſeruiant, quęnam aliqua dignitate & honore frui poſſet? Non ſemper nec tantum miniſtrat

Nobiles medicinæ non ſunt vſus plebei.

Chymia Domina per ſe eſt, & famulatur medicinæ ex accidēte.

niſtrat chymicus. Sed caput exerit tam altè, quàm vlla philoſophicarum contemplationum exeruit vnquam: Ipſa in ſua perfectione acquieſcit primùm; & cùm eius opera inſeruiant aliis, primùs tamen finis & proprius ſeruitium non eſt, ſed beata quędam αὐτάρκεια. Hoc principaliter ſpectat chymia, vt naturę arcana contempletur in intimo eius receſſu. Si phyſicę contemplationi potes donare iſtud abſolutionis genus, vt contenta ſit ſeipſa, nec deſideret quid amplius, poſtquam naturam aptè conſiderauit; quid hęſites in chymia? Si me interroges, audacter tibi intrepideq; confitear me multa naturæ opera reſoluiſſe tantum cognitionis illius mirabilis cauſa, vt quid in rebus eſſet potentiarum paſſionúque ſcirem. In nulla phyſicæ parte tantum credo oblectamenti eſſe quantùm in ſola chymia. Agnouit id & Zvingerus ſolertiſſimus ille inueſtigator admiratorque diuinitatis in natura. Diſputant multi de vacuo, de infinito, de motu, de æternitate mundi & reliquis. Vbi anxiè admodum ſingula euoluerunt, nihil amplius in ſingularitate rerum profecerunt, quàm fortè mediocriter eruditus. Chymicus ſympathias & antipathias, cauſas, effectaque & reliqua in natura ſingulari habet explorata, & ſic non ſcit indeterminatè & vagè, ſed terminatè certoque: Et multa ſolerter inue-

Chymici præſtantior notitia quã acroatarum.

inuenit,quæ maximos olim latuerunt phy-
ſicos.Poſſem tibi hoc ipſum copioſis decla-
rare exēplis, & iucundiſſimâ chymicarum
miſtionum voluptate animum demulcere
tuum, niſi prolixitas foret metuenda iuſto
maior. Si itaque antehac putaſti chymian
præter ancillam medicinæ, nihil eſſe augu-
ſtius; corrige ſententiam, & digniſsima-
rum artium vnam hanc eſſe iudica.In Para-
celſiſtarum verò φιλοδοξίᾳ nihil inuenies
Paracelſia ſordities.
tale. Non enim finis eius eſt liberalis & iu-
cunda rerum noticia;ſed lucrum turpe,au-
ri captatio;& veſana oſtentatio.Hæc vbi nō
licet aſſequi,nihili æſtimant ſuum ſtudium.
Vt autem aſſequantur quibus non vtun-
Medicationes chymicorum.
tur impoſturis? Qua non vanitate? Quę af-
feruntur de execrandis chymicorum medi-
cationibus,ea à veris omnino exulāt. Chy-
micus per ſe medicum non agit. Si ſanat;
medicus ſimul eſt, & aliis agit principiis,
quæ ipſa ars præſcribit, repetita ex Hippo-
cratica & Galenica diligentia quæ ex mun-
di hiſtoriis experimenta collegit,&euiden-
tiſsimarum rationum iudicio ſtabilita de-
ſcripſit axiomata. Secundum hæc qui ope-
ratur & chymica adhibet, eum errare, &
perperam ſanare non contingit. Paracelſi-
tæ dum omnia veterum placita aſpernātur,
& nouā medendi methodum ſuæ ſtulticiæ
congruentē confingunt, non mirum eſt ſi
atrocibus ægrotātium paſsionibus quā ſint
execran-

execrandi, conteſtentur. Stibii eſſentia rectè parata à chymico & à medico ex artis præſcripto vſurpata, vires exhibet non pœnitendas, & cum magna ægrotorum ſalute coniunctas. Paracelſici nebulones non tantum temerè & cæco impetu preparando, ſed & ineptè nefarieque porrigendo eam penè reddiderunt infamem. Ita actum ab illis eſt cum aliis à Deo cum magno mortalium adiumento in natura exhibitis. Caruit & carere poteſt medicina chymico apparatu quod artis eſſentiam attinet. Sunt enim artes inter ſe diſtinctæ. Sed melioris vſus gratia non poteſt ſine hac eſſe illa tam perfecta. Itaque & veteres neceſſitate ducti particulas chymiæ agnouerunt, receperuntq; multas, & recentes verecundè eam totam conſtitutam iam & exornatam amplificatamque exorauerunt, vt licet ſua niteretur perfectione, eſſetque vna ex theoricis preſtantiſſimis, ratione finis ſui preſtantiſſimi, tamen haud grauatè veluti de ſuo iure deceſſerit, & quantum ipſa habet dignitatis, medicinę intulerit, cui etiam adhęret tam fidè, tamq; amicè, vt, quanquam interdum ſolitaria ſit, ſecedatq; in contemplationis ſuæ Theatrum, tamen ſubinde ad complexum medicinę redire geſtiat. Sciũt enim artifices chymici non tam prodeſſe ſocietati humanę ſolitariam ſpeculationẽ, quàm cum ea coniunctam praxin vſumq;

Stibium.

Medicina ad vſum chymiam deſiderat.

ſalutarem; & nullam artem diuinam excellentemque eſſe, quæ non actionem Theoriæ habeat cõſequentem. Paracelſitæ idem ſibi proponunt; ſed non neceſſitate illa iuuandi homines, aut naturali quadam conſpiratione. Detrahe lucellum ex impoſtura quęrendum, ne caſſæ quidem nucis æſtimabunt chymian. Princeps eorum gratis dicitur ſanaſſe, gratuitamque condixiſſe operam ægrotis; ſed eius felicior fuit crumena ex chryſopœia coniuncta. Aſſeclarum quis monarcham imitatur ſuum? In conuenticulis agyrtarum, inque nundinis circumuagantes cum pixidibus & ampullis videas plęroſque, nec tanti exponentes, quantum iuſtitia requirebat, ſuam mercem, ſed inęſtimabili intollerabiliq; penè precio, cum tamen illud ipſum quod tanti vendunt vix conſtet ipſis teruncio. Ita ſunt excoquendę diuitum crumenę; Ita pauperibus ſanguis exugendus, vt nobilis fias & maneas, poſſiſque illos cinabarini pulueris voratores egregiè eludere & poſtica ſanna circumducere. Ab hac medendi ratione merito abhorret aſclepiadarũ familia. Hanc chymiæ depravationem nullus non deteſtatur honeſtus probusq;. De veneno quod producitur tanti non eſt vt chymia ſit fugienda. Non illa quicquam porrigit, ſed & facit, proponit, vireſquè eorum diligenter explicat, quo pacto & herbarum collectores.

Paracelſitarum nullus paracelſum eſt imitatus aurificio.

Chymica venena.

res. Si venenum eſt quod præparatum eſt; fugiet id medicus, aut ita adhibebit; quo pacto compertum in arte eſt de opio & ſimilibus. Qui malorum bonum vſum ignorat; is medicinæ profeſſione abſtineat. Sæpè venenum non ſua natura eſt, ſed vſu imprudente, aut nefario, quod paracelſitis admodum eſt familiare. Vtere rectè periteque, nihil erit quod conqueraris. Laudat chymiam non vituperat, qui ei tribuit remotionem potentiæ in præſens nociturae. Hoc ſæpè quęrunt medici exquiſitis miſturis & attemperatione, & vix inueniunt. Non dantur medicinæ vt corpori inhæreant perpetuo. Si tamdiu quieſcit potentia nocens donec vis ſalutaris ſuo functa eſt officio, ſalua res eſt. Paracelſitæ ſuo apparatu falſario non verè remouentur læſiones, ſed impoſtorio inducunt colore, quo facilè euicto euaneſcenteque pernicies graſſatur impunè? Si guſtum non lædit, ſi non offendit nares, ſi non violat teneritatem oculorum, ſatis illis eſt. Interim in receſſu longè grauius latet malum. Et qui ſcire poſſunt quatenus occultata fuerit potentia, cum non ſint peritiores naturæ operumque verorum, quam aſinus lyræ? Sapientem æſtimatorem & peritum requirit chymia. His dictis tolletur & ille de philoſophia nodus. Omnino enim vera chymia pars phyſicæ

Paracelſitæ tantummodo conſulunt externis ſenſibus.

phyſicæ contemplationis eſt, quæ poſtea cum ſacra conſpirat medicina, ſicut aliæ multæ. Paracelſica profeſſio tunc philoſophica erit, cum ſcorta virgines honeſtæ & ſophiſmata ipſa veritas indubia. Demonſtrabo aliquando ſi me Dominus adiuuerit, quam omnes operationes veræ chymiæ ſint ipſius naturæ documenta. Qui naturam tam in vago quam ſingularitate contemplatur, chymicus quodammodo eſſe à re ipſa cogitur. Falſæ & adulterinæ chymiæ principia ignorarunt philoſophi; veræ neſcire non potuerunt. Dandum tamen aliquid temporibus eſt. Nihil enim ſimul inceptum eſt perfectumque. Satis eſt ſi veſtigia in illorum monumentis extent, & generalium præceptorum complexu vniuerſa ſcientia ſit comprehẽſa. Nemo ſuſtineat adulteria paracelſica profiteri palàm, niſi agyrta temerarius. At ſanæ chymiæ pręcepta non exulant ab academiis, quanquam non vbiuis pari cum ſplendore doceātur. Vocabulorũ nouitates non amat verus chymicus. Paracelſita nihil tam venatur. Latitare enim perplexitate vocum, vt Dæmon delphicus, quàm optimè poteſt eius vafricies. Non tamen vſque adeo abſurda videri debent, quæ ab Arabibus, Ægyptiis aliisq; ſumpta iam frequente vſu ſunt emollita. Loquetur artifex latinus vbi poteſt latinius. Non tamen omnia mutare auſit.

Opera vera chymia documenta in natura habens.

Noua vocabula.

ſit. Nam eiuſmodi mutatio res obſcurat. De primis chymiæ autoribus, per quos illud bonum Deus hominibus conceſſit, multa ſunt in coniecturis quam pii, morati, bonive fuerint. Si Hermes eſt inuentor is cuius ſcripta quædam & dogmata cum Zoroaſtri decretis etiamnum hodie circumferuntur, apparet non fuiſſe illi ingenium abiectum, nec diuinarum rerum expers. Et conſentaneum eſt ex doctrina Abrahæ aliquid ſibi rapuiſſe Ægyptũ, viuo adhuc Hermete. Sed cum magnæ virtutes in hominibus, magnis ſæpè vitiis ſint contaminatæ; crimina in deliciis habere eaq; ſectari, non eſt niſi paracelſi. Si Hermes ſe vocauit ſatis arroganter triſmegiſtum, & pro Deo geſſit, ſicut aliquando Simon magus; Paracelſus id egregiè eſt imitatus, vt qui neſcio quam monarchian ſibi rapere non eſt reueritus. Iſtum pręceptorem noſtris temporibus ad viuum exprimunt diſcipuli. Nam & Aſſyluanus quatuor facultatum ſcientiam publicis literis, & triſmegiſti titulum proponere, & de ſe proclamare non erubuit. Et quinam Paracelſita eſt, qui non ſimul in Theologia & iuriſprudentia dominari contendat? Nulli debetur id conuitium præter Paracelſitarum ſtolidiſſimam cohortem. Hãc ſi non parturiiſſet veſaniæ abyſſus, non confli̇ctaremur cum humani generis portentis. Quę veteres laudabiliter excogitarunt in auxi-

Hermes qui alius vetuſtior alius recentior eſt.

Paracelſitarum arrogantia.

Amwalдus ſtolidè ſuperbus.

Deus benefacit etiam per malos.

auxiliū vitæ noſtræ, tanquā autore Deo per illos datã, agnoſcimus, & admiramur. Non enim latet Dei bonitas in artibus etiam per hos manifeſtata, qui alioquin non ſat correctè de diuinis ſenſerunt, & in gentilitate nati idolomania ethnica fuerunt inquinati. Sed inde nil maculę trahit τὸ καλὸν, quemadmodum nec Spiritus ſanctus polluitur, cum per Saulem abiectum, & Pileamum concionatur. Itaque probro eſt hoc illis qui cum bono malum ſimul ab ethnicis in ſe transferunt. Qui relicta prauitate artem ſequuntur vtilem laudatamque, his nihil accedit ignominiæ. Hac ſe laude vera effert chymia. E vitiis eluctata illa eſt, ſeque pernicioſiſſimorum errorum ſtipatu liberauit. Quo non illi gratulemur plauſu? Quem non conferamus triumphum? Laurea pariter imperatoribus & currui triumphali coronati ſunt olim poetæ. Laurum veræ chymiæ debemus, quę victis paracelſitarum flagitiis in throno ſuo reſplendet purâ trabeâ. Hęc ideo in ſublime ſe effert, vt ſe ſuaque opera luci exponat, nullique inuideat arcanorum ſuorum notitiam, modo legitimè initiatus per artium inferiorum ſubſellia accedat, animoque honeſto & liberali ſine pigritia oſcitantiaque ſtrenuè operetur, & quantum poteſt ad Dei gloriam humanamque ſalutem inde conferat. Fuga lucis operum improborum eſt,

Locutio non eſt ſpernenda, etiamſi per aſinum olim ſonuerit.

qualia

qualia potiſſimũ ſunt paracelſitarum. Hoc tibi ſanctè affirmare poſſum, mihi multa eiuſmodi nomine immenſi precii & ſummorum arcanorum commendata fuiſſe: ſed quæ ſpectata iudicataque nihil aut parum habuerunt ſynceri. Fabulas anicularum, & tenebroſorum hominum fumos ſomniaque maximi æſtimare, paracelſitarum eſt proprium. Incredibile eſt quantum ſibi placeant arrogentque vitioſæ nucis analyſi. Hoc ſecretum ſecretorum eſt, hoc arcanum arcanorũ; hoc magiſterium; hic tripes arcanorum. Cum de illo dicendum eſt, verba ſat ponderoſa & magnifica deficiunt. Ipſum eternitatis myſterium quo pacto à Spiritu ſancto eſt pronunciatum non aſſequitur, ipſis iudicibus, maieſtatem putoris paracelſici. Hi ſunt viui horum ſcelerum colores. Deprehendis facile de quibus ad te ſuperius ſcripſerim. Omne robur conuerte in paracelſica deliria. Summis viribus iſta oppugna. Veram autem chymiam aſſere, & à nefariorum hominum inquinamentis libera quantum potes. Vera quedam ſcripſit etiam Paracelſus; ſed non de ſuo. Operam da vt ſtercore paracelſico abſterſo ſuis autoribus ſuoque nitori reſtituantur precepta laudata bonaque.

Paracelſica ſterquilinia immẽſi precii & myſterii.

Ita ſine gloria non obibis.

Vale.

EPIST. III. DE DIFFICVLTATIBVS QVIBVSDAM IN vſu etiam verę chymiæ.

AD COSMAN PEGANDRVM Virum eruditum & Medicinæ Doctorem.

QVod ipſa per ſe chymia ob præſtantiam ſuam, & emolumenta præſidiaq; quæ humanæ confert ſaluti, ampliſſimis digna ſit, & celebranda ſemper præconiis; facilè tibi mecum conuenire video. Cum verò ad diſciplinam vſumque eius peruentum eſt, & de poſſeſſoribus exercitii quęritur, non parua ſe obiicit difficultas. Veriſimile eſt res chymicas in ſe tam planas perſpicuasque eſſe, vt nihil poſſit deeſſe etiam ad mediocrem captum. In expoſitione verò & traditione autorum ſalebræ & obſcuritates ſe offerunt crebræ, adeo vt non rarò ſubſiſtere hæſitareque in operando cogâris. Ego verò, mi Coſma, hoc ipſum nec arti tribuo, nec artis autoribus. Scripſerunt hi qua fide & ſanctitate potuerunt idiomate ſuo. Hoc tibi ſedulo eſt aduertendum. Si ſermonem artificum non intelligis; nondum feciſti tyrocinium, aut planè oſcitanter ſineque fructu inter illos es verſatus. Non eſt ignotum tum aliis, tum hoc quoq; fine diſterminari artes, vt vnaquæque ſuis ſua

Artificum ſermo diſcēdus.

Lex Hipp. Res ſacra ſacris hominib. demonſtrantur.

Profanis id fas non eſt, priusquam ſcientia orgiis initientur.

ſua enunciet verbis. Hæc ſi intelligas, dimidium operæ eſt. Nam incredibili compendio ipſa artis proprietas per verba ſua eſt expoſita; ita vt non raro vna nota vicem ſuppleat magiſtri. Nullibi penè proprius ſermo valet magis quam in artibus. Hic non fortuito natus eſt, ſed ab experientia & operibus artificii cauſſisque prodiit. Diligentię itaque hîc adhibendum plurimum eſt vt benè proficias. Queruntur nouitii & externi ſe non poſſe aſſequi dicta chymica. Si iidem ſutoriam aut metallicam ingrederentur, putaſne eos differentes artifices intellecturos, & non potius pari cum querela diſceſſuros? Scribunt doctrinæ filiis ſeu diſcipulis ſuis, vt loquuntur Arabes. His eſt aſſueſcendum. Non negem tamen interdum ſtudioſè aliquid occultatum, aut peruerſum fuiſſe à primis; idque non artis inuidia, ſed importunorum hominum metu. Sed huic quoque difficultati eſt occurſum. Cõſuetudo enim legem fecit, adeo vt peritus operum chymicorum, & ordinis, facile intelligat, quorſum tẽdat autor. Qui omnia ſophiſmatis impleuerunt diſtorſeruntque adeo vt etiã phraſes artificum repudiarint, vt paracelſus factitauit, eos merito ſuo odio habent omnes veritatis amatores. Nec nos primum tales improbamus. Ex commentariis vetuſtorum patet, ſuis temporibus non defuiſſe & deprauatores artis, & ho-

rum oppugnatores. Notandum inſuper & hoc eſt, quod multa non poſſint ſcribi dicive, ſicut nec Cicero omnia in oratore potuit verbis tradere, nec Quintilianus. Huic defectui ſuccurrere debet αὐτοψία, & manuum admotio. Artifex nemo euadit ſine artis vſu. Experiendum itaque chymico futuro eſt, & laborandum. Multa admonet vſus, quæ in præceptis occultabantur. Sed hoc ſi tentes, mox aliud occurrit impedimentum. Patrimonia enim dicunt prius abſumi ampliſſima, quam peritus quis euadat; nec diſci poſſe ſine nummorum iactura. Ego vero non ſumptuoſam artem puto niſi illis qui aliâs ſoliti ſunt opes profundere, aut qui pernicioſa ſubito diteſcendi cupiditate ad artem aduolare conſueuerunt. Requiruntur aliquæ impenſæ. Vix enim ita inſtructus eſt quiſpiam, vt gratis ſuppetant inſtrumenta materiæque. Sed ſi illę non ex liberalitate opulentorum patronorum pręſto ſunt, in tenui faciat experimenta tyro. Hîc tanti iactura non eſt, ſi non reſpondet euentus. Quod ſi auri amore ad Crœſi opes feſtines; memineris te auſpicia debita non facere. Itaq; temeritati acceptum ferendum damnum eſt, non arti, quę te non à tranſmutatoria inchoare iubebat, ſed ab operibus facilibus. Verumenimuero hoc quoque vbi exuperatum eſt iugum; mox ſe infert aliud. Indignum

Sumptus chymici.

Chymia non inchoanda à chryſopœia.

gnam eſſe chymian veram quoque homine liberali iudicāt, quia nō niſi à muliercu- lis & ſeplaſiariis exerceri conſpiciatur. Hoc enim hominum genus plurimum operæ in eam impendit; aquas deſtillat, ſuccos extrahit & reliqua peragit eo cum ſupercilio & iactantia, vt nulli medico aut philoſopho tantum artis tribuatur quantum vetulis. Hę quod proferunt, id eximium eſt ſolum, id bonum, id efficax & maximoperè excellens. Medicus cum ſua pyxide poſteriores tenet. Hunc contemnunt ridentque aſtantes, illas commendant. Hic ſtupidus eſt inſipidusque; illæ induſtriæ & ſapientes. Eſt ille quidem ſeculorum mos deprauatus, vt de artibus non iudicent niſi inertes. Itaque quod his placet, id præcellit. Sed philoſophi non ideo ſuam deſerant ſtationem. Si paucos habent aſtipulatores, ſatius id eſt, ſi ſunt ſapientes. Qui à multitudine imperita pendet, is vel nullum habet. Quid enim cęcus de pictura? vt colorum iudex non poteſt eſſe Thamyras, etiamſi mille calculos afferret, & innumeros ſibi adiunxiſſet cæcos; ita nec ſapientum operum multitudo deſipiens. Illæ vetulæ nonnunquam ad inſignes artifices referunt ſua. Id poteſt alicui eſſe ſolatio. Sed potius contemnenda ſunt iſta quam odio proſequenda, quod qui non poteſt, eum ſæpè neceſſe eſt cum laruis temerè luctari. Non autē deſunt etiā artifices

Chymia in manibus vetularum.

De artibus ſtatuunt inertes.

celebres nobilesq;. Multæ res publicæ ſolertes alunt, quod te latere non poteſt, qui vicinam Angliam, Daniamque pene habes in proſpectu. Medicos autem plurimos aut leuiter deguſtare, aut negligere chymian, ſeplaſiæque relinquere, partim non ſine vitio eſt, partim excuſatione nō vacat. Non eſt medicinę propria profeſſio chymia. Philoſophorum naturalium eſt. Qui itaque tantum occupantur ægrotantium calamitatibus, vt phyſicis contemplationibus operibusque ſingularibus operam & tempus impendere nequeant; illis, modo non ſuperbè & contumaciter eam explodant, & diſciplinæ annis tantum didicerint, vt pharmacopœum inſtruere & de operibus iudicare queant, omiſſionem condonem. Qui verò cum otio in academiis docēt; eos crimine neglectæ naturæ non liberem. Phyſici enim illi non contemplatione & doctrina duntaxat eſſe debent, ſed & exercitio. Solent autem artifices periti non pendêre à ſeplaſia tanquam Domina; ſed ea miniſtrante vti. Itaque quemadmodum ἀρχίτεκτοι non ipſi laborant, ſed aliis laborandi rationem ex ſua experientia præſcribunt; ita excellentes phyſici & medici agunt. Si quos aliqua infelicitas à chymica diſciplina olim abſtinuit, qui nihilominus eius operibus delectantur, conſueuerunt ab aliis artificibus quorum fides ſpectata eſt, & experien-

perientia comprobata, quo ad medendum vtantur accipere. Quanquam ergo ſunt malitioſi chymiæ vituperatores etiam inter philoſophos & medicos, cum nulla ſcientia ferme ſit, quin vlceribus quibuſdam interdum deformetur; non tamen planè deſunt eius admiratores, celebratoresque, qualis ſuperiori memoria fuit Crato, Geſnerus, Zuingerus cum multis aliis. Principibus quorum cura & ſumptibus academiæ nutriuntur, etiam de chymia promouenda illuſtrandaque erat diſpiciendum, elocato ſtipendio chymico. Sed omnia in peius ruunt. Si veterum inſtituto non exiſterent academiæ, neſcio an hodie exorirentur, cùm & illæ indies magis magisque deſerantur, & à liberalitate in ſeruilem quandam redigantur anguſtiam, vt videatur profeſſio academica quorundam nihil eſſe aliud quam ſplendida miſeria. Eſt & illud in remoris diſciplinæ chymicæ, quod ad finem artis peruenire nemo poſſe videatur. Nam veteres præſtantiſſima eius parte, nempe tranſmutatoria nihil videntur habuiſſe notius exploratiusque. Vnde & tot commentaria ad poſteros tranſmiſerunt, quæ ne intelligant quidem hodierni philoſophi, nedum opere aſſequi queant. Quis eſt qui ſe profiteatur χρυσοποιὸν talem, quales fuerunt illi, niſi mendaciſſimi impoſtores? ſed & in aliis chymicè apparandis non

raro fruſtrari contingit; vt credant multi præter exiguam particulam vix quicquam eſſe in chymia certi, aut ſaltem promittere ſibi poſſe cultorem. Hunc nodum facile ſoluit ſingularum partium excellentia. Diuinæ artes & nobiles vix omni ſua parte in hac vita abſoluuntur. Hinc illud vulgare; quod artium ideæ ſint aſſecutu impoſſibiles, cum nemo inueniat talem ſapientem, qualem poſtularũt ſtoici; nemo talem oratorem, qualem deſcripſit Cicero. Verũ nos oportet illas Ideas nobis tanquam ſcopos proponere, ſummiſque eò collimare virib. Si non aſſequimur exactè: opera danda eſt, ne nimium aberremus. Itaque & in chymia ſi vltima abſolutio omnium partiũ non obtinetur; non tamẽ pigeat aliquô proceſſiſſe, & id feciſſe, quod tũ erudiat nos de diuina potentia, tum ad communem ſalutem aliquid afferat emolumenti. Aurum ex hydrargyro non eſt à natura tantopere remotum quin poſſit fieri, ſi eam ingenioſè tractet artifex. Verum induſtriæ tantæ eſt, vt hebeti ingenio & tardo qui eſt, non ſit ad eam rem idoneus. Qui veteres declaret, fortaſſis aliquando Deo dante erit. Non tamen manca eſt vita noſtra, etiamſi illa ars non extet vulgò, conſentaneum eſt Deum ideo à conſpectu multitudinis eam arcere, quia cupiditatum improbarum nullus penè eſt finis, quanquam & vileſcant vulgata, ſicut

Ars auri faciendi.

ſicut olim argento euenit tẽpore Salomonis,& auro apud Indos antequã experirentur Hiſpanorũ Gallorumq; auiditatem. Væ illi magiſtro, qui officinã auri faciendi aperuerit. Itaq; ſapientes qui callent artem, ſibi tacendũ putãt, & cõſortia procerum vitandum, vt præclarè monuit ex veteribus quidam. Paracelſus ex magia & conſuetudine dæmoniorum aut aliunde potius nummos parare creditus eſt, quam ex chryſurgia. Aliàs non effugiſſet improborum & harpyiarũ vngues. Quod ſi profeſſus eã aperte eſt, & præſtitit quæ dicitur, næ inter innocentes eſt verſatus, quorum animos nondum imbuit auri præceps appetitus. Omnino chymia etiam ſine aurificio magno mortalium bono eſt inuenta, nec fallit niſi imperitũ & oſcitantem, & ſi quid improuida hominũ mens, perinde vt in aliis artib. omnibus cauere nequit. Chymica contemplatio naturã intus oſtẽdit; hęc ſingulare oblectamentũ parit, exprimitq; nõ rarò eximiã diuinæ munificẽtiæ & admirationẽ & gloriã, quo pacto veteres de lapide aurifico ſcripſerũt, eius artificiũ tantũ eſſe, & effectũ tã ſtupendũ, vt nõ poſſit facere artifex, quin in ſe reuerſus religione quadam & pietate in Deũ cõmoueatur. Sępè euenit vt cũ de reb. naturæ diſſerendum eſt vſitato more, aſtans chymicus tacitè ineptas rationes redarguat, & vix ſibi a riſu temperare poſſit. Debe-

bant artem amplecti phyſici eò ſtudioſius, quò rerum naturam aperit demonſtratque certius. Sed plęrique cum Platone errare malunt, quam cum aliis vera ſentire, qua voce neſcio an inſipientiorem aliam vnquam protulerit ſapiens ille Romanorum & philoſophus & orator Tullius. Chymia vera eſt phyſica, & vera honeſtaque veterum magia, quanquam hanc quoque vocem corrupit omnis mali autor cacodæmon, pro naturali magia inueniendo ſceleratam aliam & Diabolicam. Sed non es detinendus pluribus. Vale.

EPIST. IIII. DE MAGNIFICIS CHYMICORVM PROmiſſis in nutritione & medicina.

AD MODESTVM ET ERVDITVM iuuenem Thobiam VVindium Auguſtanum phil. & med. Candidatum.

MEMINI, Thobia, cum in Salana verſareris quantum ſtudii operæq; cum cõmilitonibus tuis iam partim ſumma cum laude medicinæ Doctoribus, partim eodẽ aſpirantibus, in Aſclepiadeo priuato in cognitione rerum medicarum poſueris. Non enim ſimplicium tantum hiſtorias vultuſque natiuos ibi loci vbi eorum copioſus eſt prouentus, vnà cum virtutibus indagare ſedulò es conatus, ſed & in abdita medicinæ,

tanquam in ditiſſimam intimæ cognitionis mineram, te immergere, & de ſecunda adverſaque hominum valetudine defendenda reparandaque quidem illa, hac autem profliganda ἐπιστημονικῶς diſquirere non intermiſiſti. Nec te abieciſſe poſt meum ex illo lyceo diſceſſum iſtam curam, ſed tum ibi, tum in aliis, quas adiiſti, academiis ardentius in eam incubuiſſe, literis amicorum mihi eſt relatum. Non dubito quin breui ad finem laborum ſis perueníturus, & cum magna Dei, patriæ, parentumq; & tua gloria, lauream, pręmium virtutis, & profectus laudati argumentum pręclarum, cōſecuturus. Ego verò tibi & refricādam conuerſationis priſtinæ memoriam putaui, & amicitię etiam in poſterum colendę excitādum deſiderium, idque epiſtola chymica. Cum enim notitiâ ſimplicium in natura aliquando ſtudueris excellere; conſentaneū eſt te nec ab ea abhorrere quā ars promittit, prę ſertim tam ambitioſis pręconiis, vt non tantum allici vehementer animus cupidus ſoleat, ſed & vel in vno, tanquam nectareo melle delibutus, aut ſuauiſſima Sirenum Platonicarū harmonia demulſus poſſit acquieſcere. Nihil ferè eſt quod chymicus (φυσικῶς loquor) procreat, quin idem ſit eſſentiâ puriſſimum, guſtu ſuauiſſimum, viſuque non minus gratum; ſed & viribus tam efficax, vt ſingulæ res ſingularum ſint

Μίμησις magniloquiorum.

inſtar panacearum ad omne genus affectionum morborumq́; incredibiliter ſufficientes, & ad vſum tam commodæ delicatæq́ue vt nihil vtilius, nihil tenerius, facilius, dexterius, quemadmodum illa μεγάλα plurimorum ſonant. De horum veritate nos quærere fas eſt. Nam & ipſi gaudemus profeſſione chymica, & non minus poſt Deum amicosq́ue in illis ſolatij quærimus quam alij. Ingenioſiſſimis vſus præceptoribus proculdubio præclarum eruditionis congeſſiſti theſaurum. Quid ergo iudicij de illa magnificentia profers? Eſtne chymia tanti, vt ab ea expectare liceat tot panaceas, quot abſoluit operas? Et hæ ipſæ ſuntne tam commodæ vt in vſu ſuo, qui fingitur omnium molliſſimus, hominis vitam vſque ad à Deo decretum terminum ſine vllo languore poſſint producere? Si aſſeris, næ diuinitatem quandam medicinæ ex chymia tam nobili ſcientia aſſcribis. Sed multa ſunt quæ iudicium in diuerſa trahunt. Primum videntur mihi illi laudatores non ſatis expedire rationem termini quem à Deo præſcriptum dicunt, & ad quem curando ſe peruenire poſſe credunt. Generalis vnus eſt à Deo in vniuerſum humanæ vitæ præſtitutus, & à Moſe ad annum ætatis octogeſimum perductus. Hunc deſignare non poſſunt. Certum enim eſt pauciſſimos eum viuendo aſ-

Termini vitæ.

do aſſequi, quique aſſequuti ſunt, potius ſine medicina attigiſſe, ne dicam ſine chymia. Deinde tantum poteſt promittere chymicus, quantum eſt in natura generatrice prima, & vitæ adminiſtratrice. At vitio gignuntur multi adeo vt ne quidem, ſi à primo vitæ ingreſſu ſtatim aſtes, & chymicis paſcas medicerisque hominem, producere ad iſtud ætatis cum queas, nedum poſteris temporibus accedens. Si ſupponunt abſolutam ſanitatem: ludunt naſoq; ſuſpendunt credulos potius, quam verè docent. Quotus enim quiſq; eſt, qui ita naſcatur? Sed & dem tibi iſtud. Nutrire chymicis eſſentiis, & iiſdem conſtituere tam geniture corpus deberent, quam genitorum. Ex quibus conſtamus, iiſdem nutrimur: & nutrimentum in ſubſtantiam cedit. Quod creatum eſt ex materia in corruptionem prona; reſpuet nutrimentum ex chymicis incorruptibilibus. Quod ex his ſatum eſt; non aletur ſanguine, non olere, non carne. Si poſtquam editus in lucem eſt infans, mutare corpus eius in proprietatem eſſentiarum chymicarum velis, alteratione id non perficies. Nam genitum erat ſecundum ſubſtantiam. Mutabis igitur materiam. Sed tunc totam vitæ rationem deſtrues, quia naturam corrumpes. Arguit & experientia huius promiſſi vanitatem. Si infantem deſtillatis chymicis

alere

alere aggrediare, non ſuſtinebit nec quantũ nec quale. Deeſt item exemplum huius cuſtodię. Sed miſce chymica aliis. Non dico te actum acturum, polluenda id quod ſtudioſiſſimè depuraueris, ſed & operam luſurum inquam. Appetitu enim ſuo ad conſueta feretur natura; inconſueta in tam tenero corpuſculo negliget, aut grauiter inde patietur. Non addo prædicare chymicos neſcio quã ſimplicitatem ſuorum. Corpus verò non nutritur ſimplici. Quo pacto verò iniurias cauebunt externas? Sintne infantes etiam in eſſentiis lauandi? Nihilne gignent ſuperfluitatum? Si tam pertinaces ſunt eſſentiæ vt non poſſint corrumpi facilè; natura autem mutat corrumpitque cibos, & ex diſſimilibus facit ſimiles; ea verò in teneris valdè eſt tenera, nec poteſt concoquere ſatis panem & ſimilia paulo robuſtiora, quomodo vincet eſſentias? Sed ſtultum fortè eſt ad ſtulta multum ſermonis afferre. Videntur illi præcones non hunc terminum genericum deſignare, ſed cuiuſque proprium, ad quem peruenire poſſet natura ſingularis, ſi nullam experiretur foris violentiam. Sed hic omnis vitę terminus à Deo pręuiſus cõſtitutusque eſt. Fixit enim hunc Deus non ſine præcognitione in nobis futuræ vitę, & permiſit hominem mori, quanquam ipſe cauſam mortis nec præbeat nec probet ſemper. Ludunt ergo iterum nos prætendendo

dendo fata, quãdoquidem vel infanti ſuum tempus fatale eſt, ſiue id à violẽta foris cauſa ſit, ſiue connata. Poteſtne autem aliquid certi in promiſſo eſſe, vbi nihil nec demonſtrationis certæ, nec exemplorum eſt? Quẽ hominem ſua arte ſe perduxiſſe ad fatalem terminum poſſunt iure gloriari? Ad eum omnis mors deſinit; at cauſam in chymica potione fuiſſe cum ſalute, & non potius ſuſpicione dati veneni, quî demonſtrabunt? Sed aliud tibi argumentorum profero genus. Quod axiomata medicinæ promittere nõ queunt, id à ſingulari materia, ſiue chymica, ſiue alia, modo naturæ vini ſpectes, præſtari non poteſt. E ſingularitate enim proceſſit vniuerſalitas per experientiam. In his, quorum morbo natura eſt victa, neſcit ſalutem medicina; nec in his quibus ab ortu in radice vitium eſt; quin in epidemicis occultis diuinus ille ſenex Hippocrates τὸ θεῖον potius implorat quàm medendi methodum. Legiſti opinor quæ nobilis ille Dudithius ad Raphanum medicũ ſcripſit. Serio ille ioco affirmat nihil valere medicinã Therapeuticam in morbis, quos omnes ait ſua natura deſinere in vitam vel mortẽ: Quin multos curari tunc citius & rectius cum omnis de medicina ſpes abiecta eſt. Nec fallit interdum experientia. Sponte enim conualeſcunt multi, qui ſe à medicinis factos infirmiores teſtãtur. Quidam ſe moritu-

Chymici falſi prædicant id cuius nullum habent exẽplum.

Hip. de arte.

l. prænotionum.

Patus in epiſtola ad Artaxerxen.

rituros potius quàm pharmaco vſuros indicant. Ambroſius Paræus ferè eo nomine θεράπαιναν noſtram infamem reddidit, dum aut nihil aut parum eam præſtare ſcripſit. Aſtipulantur his Theologi, ex quorum axiomatis & hoc eſt, quod Deus longitudo dierum cuiuſq; ; quod ſortes cuiuſq; in manu eius; illo reprehēdit regem qui medicos prę Domino conſuluerat. Filius Dei potēte verbo curauit, non medicinâ, teſtatus nempe ipſo opere quam parū ſit in hac præſidij. Aliqui ex præuiſione Dei argutant, ſibi neceſſario ex præuidentia Dei aut viuendū aut moriēdum. Vtrumq; fore vel citra medicinam, cum quæ Deus prçuidit, ſint immutabilia. Si quis ergo ex potione conualeſcit, is Dei prouidētia cōualuit fruſtra datâ medicinâ. Nonnulli ab ipſa natura petūt opinionis ſuę firmamentū. Hanc mederi ipſe aſſerit Hippocrates. Quid ergo opus eſt medico? Illa conſeruatur ſimilibus, non contrariis. Hęc tractat medicina. Inutilis ergo. Plato cum veteribus vitę fatales pręfecit Deas, quas Parcas vocarūt. His nō medicinæ vitæ aſſignarūt regimen. Si itaq; vniuerſa medicina ignorat medicationes veras, chymia parū afferet adiumenti, vt quæ nō pręcepta condit, ſed materiā ſaltem medicamentariā porrigit. Si parū præſidij vel in minimis habet, quorſum ergo illa grandia? Nō reuocabitur, qui in limine mortis eſt per chymicū ſuccum,

ſuccum, cuius leuiorē affectionē is non poterat tollere. Nō perducet ad longiorē vitæ terminū, cui iam præuiſa præſtitutaq; à Deo immutabiliter mors eſt. Quin ergo cōtēnimus chymian? Quin explodimus? Temerariū omne ſtudiū eſt, quod in re non cōmodatura ponitur. Speculationes otioſorū hominū ſunt pabula. Animus illis tanquā illecebris oblectatur. At medicina diuiniorem opē policetur. Hæc & ſimilia aduerſus chymiæ finē dici poſſunt ſolentq;. Sed nō proferenda tantū ſunt. Iudicāda res eſt. Si igitur ex me q̄ras, num planè nihil dē chymicis ꝓmiſſionibus in medicādo, negem. Nā ſi non aſſequitur chymia iſta magnifica καθόλου; multū tamē præſtat, idq; interdū non ſine miraculo, præſertim vbi tēpeſtiuè & induſtriè à ſolerte medico adhibentur eius opera. Optimā rerum virtutē habent, eamq; arte ex remotiore tardioreq; potētia ad viciniorem, ſeu ex intimo abditoq; in propatulū productam, & longè maiore donatam ad agēdum procliuitate quam prius. Medicus rectè adhibens agentia patientibus diuinarū operationū per Dei gratiā admiratione non carebit. Obiectis ſuperioribus occurrere perfacile eſt cuiuſuis. Explodo ipſe quoq; ambitioſas illas laudes & fatuā ꝓmiſſa parachymicorū. Definitū ſemel eſt ob peccatum morbos & mortem tandem nos ſuſtinere debere: & in Dei manu ſunt occaſiones. Is medio naturæ

Quid chymicus promiſſis debeatur.

vſus

vſus potentiæ ſuæ opera variè exercet, & vt mente cõualeſcamus, non rarò exoriri ſinit prouocatq́ue corporis morbos ipſe. Quis medicorũ ſit tam impiè confidens, vt auſit promittere omnibus ſtabilẽ ab initio vſque ad finẽ vitæ ſanitatem? Naturæ ductum ſequimur. Vltra hanc medicando non aſſurgimus, etiam in his, vbi maximè præcellere medici opera videtur. Naturã ſuſtentamus cibis conuenientibus. Medicinam adhibemus cùm noxa imminet, aut pręſto eſt. Et ſcimus omnem vitæ terminum fatalem eſſe, ſiue medicamento procuretur, ſiue aliis cauſis. Itaque nemo moritur niſi cum fato. Abſtinemus talibus promiſſis. Quod ſi dicant moriturum quempiam ante diem fatalem fuiſſe, niſi medicina vſus cõualuiſſet: referam moriturum quidem; ſed non ſine fato. Qui terminum vitæ præuidit & pręſtituit, is etiam quo medio ſeruandus vſq; eò fores præuidit. Itaque non eſt eleuanda virtus medicinæ Dei præuiſione immutabili; ſed potius quęrenda vſurpandaq́; tanquam medium ſolenne, quo te vti iuſſit voluitq́; ille naturæ autor. Non potes negare nutrimentorum vires argumẽto, quia Deus vidit quandiu futurus eſſes ſuperſtes. Quid hęſites de medicinis? Incluſæ hæ ſunt vitali ordinationi, vt & cibi, non excluſæ. Itaq; neceſſe eſt medicina vti, ſi neceſſaria eſt præuiſio de vita ſeruanda per medicinam. Qua ratio-

Dei præuiſio connexa cum mediis vitæ & mortis.

ratione dictum ſit, præuiſionem diuinam non afferre neceſſitatem euentibus intelligis. Eſt illa quidem immutabilis; quia quocunque actu rus paſſuruſq; foresmodo, id omne in diphthera manuq; Dei eſt ab antiquo deſcriptum & indelebile. Sed interim effectus cauſa non eſt præuiſio, verum alia ſub præuiſione cõtenta: quo pacto & Theologi hodie diſputant de electionis neceſſitate immutabili, quod ea includat cauſas ſubordinatas, & effectui proprias. Quia enim vidit Deus ſic fore, certò; decretum fecit immutabile, & elegit ad poſſeſſionẽ ſalutis, quem credentẽ conſtanter conſpexit. Ita ergo præuiſio & neceſſitatem habet, & nõ eſt cauſa euentuum neceſſaria. Quę pręterea attuli argumenta, euanida ſunt. Dicit Dudithius terminare morbum ad vitam vel mortem. Cauſas efficientes omiſit. Mors enim & vita ſicut & morbus aliis fit & exaſperatur cauſis, quæ non debebant excludi. Non itaque conſequens inde eſt medicinam nihil præſtare. Nihil autem ſanabile eſſe, niſi quod ſpontaneo motu ſanatura erat natura, mendaciſsimum eſt. Quas luxationes illa *αὐτομάτως* perſanat? Cum decumbit illa, aut ad motum pigra, captáve eſt, an non à medicina actum accipere poteſt? Vincula tollit medicina; ſomnolentam exuſcitat; imbecillem roborat. Tunc itaq; benè agere poteſt, cum ipſa per medi-

E cum

cum diſpoſita eſt benè. Certè infixa ſpiculæ magnasq́; hęmorrhagias nõ tollit benè ſine medente. Spiritus & calor non perueniunt ad partes obſtructione præpeditas, niſi hac ſublata. Diætę prę̄eſt medicus. Si ſine medicina natura conualeſcit, cur in magna fame non ſine cibo, & in ſiti non ſine potu reſtituitur? Multum itaque debet naturæ adiumentum medico. Paræus ſtudio commendandi chirurgian, non debuerat deprimere nobiliorem θεράπδαν. Apparet iudicij imbecillitas ex quodam argumento. Concludit enim chirurgian præſtãtiorem eſſe medícamentaria parte, quia illa egeat huius ope, non autem hęc illius. At nobilibus id eſt quod in ſe eſt αὐταρχές. Perfectum non eſt, quod ab altero perficitur vt chirurgia à Therapeuſi: ſed id quod alterius ſubſidio non eget. Contrarium concluſiſſe debuit. Deum non aduerſari medicinæ argumento regiæ reprehenſionis, ipſe oſtendit Eſaias, qui verbo recreatum Ezechian nihilominus ſanat medicamento. Quæ hiſtoria etiam confirmat id, quod de præuiſione dixi. Iam certus rex erat de annorum augmento. At quia incluſa erat naturalis ratio; ideo curatur ficu. Et ille terminus etiam initio erat fatalis, Deo præuidẽte etiamhanc acceſſionem, & ſingulari cõſilio exemplum omnipotentiæ ſuæ, fideiq; in rege ad eccleſiam erudiendam, edente. Sortes igitur noſtræ

ſunt

ſunt in manu Dei principaliter gubernantis & decernentis moderantiſque omnia non initio nunc facto, ſed ordine poſito *πρὶν καταβολῆς κόσμου*. Ille autem ordo mundana ſimul reſpexit media. Ita ipſe eſt longitudo dierum, non quia nunc determinat, ſed quia & nunc adminiſtrat, & olim antequam naſceremur ſanciuit, & media per quæ ſeruaremur inſtituit. In illis mediis eſt & chymia, quæ ſi vſitatum vitæ curſum ſpectes, & alios medicinarum reliquarum effectus, miraculoſam, ſeu nobilem & quam proximè ad diuinorum conditionem accedentem procurat in medendo operationem. Vera igitur chymia magni eſt æſtimanda quidem, ſed ita vt nihil ei aſſeribatur, niſi quod à Deo per naturam accepit, quodque ratio & experientia monſtrat. Quod exemplo præſtitit nullo, id nolis ei aſſcribere. Itaque magnifici parachymicorum fumi pereunt. Quidam officioſè mentiri non putant ſibi dedecori. Sed officium nego eſſe, quod cum vitio eſt coniunctum. Nec medicus inde quicquam lucratur præter ignominiam. Multa enim promittere in ſanando, & parum vel nihil aſſequi, dignitatē artis non extollit, ſed proſternit. In aliis vitæ modis diſſimulatio interdum valeat: in prædictione de virtute medicamēti, quę habet coniunctam ſalutem ægri, aut mortem, Si quis inanem ſpem ampliſſimis facit verbis

Hip. in 2. de prædict. & in lege, Item de decente ornatu: & de præceptionibus vbi dicit: Nō oportet aſſeuerare, quod aliquid ſolū exhibitum proderit.

verbis apud pleroſque, turpitudo primam ſortitur aleam. Hanc noſti reportare Paracelſicos gloriatores. Sed vale tandem, & me ama.

EPIST. V. AN CHYMIA PROPTER MORBOS EPIDEMICOS ſit inuenta, vt ſubſtantiâ totâ totius ſubſtantiæ ſanari paſſiones queant.

AD TOBIAM VVINDIVM AVGVſtanum medicinæ candidatum.

Hip. de decente ornatu.

MEDICVM philoſophũ eſſe ἰσόθεον, quod omnia quæ ad ſapientiam requiruntur, ſint in medicina, pridem ſcripſiſſe Hippocratem ignotum tibi, Thobia, eſſe non poteſt. Sed neque illud obſcurum eſt, quod maximè cum commendet, ὅστις ἐν τοῖσιν ὀξέσι νουσήμασιν, ἃ τοὺς πλείστους τῶν ἀνθρώπων κτείνει, ἐν τουτέοισι διαφέρων τι τῶν ἄλλων εἴη δῆλον ὅτι τὸ βέλτιστον, quo pacto & alibi admirabilem facit hũc & bonum, ὅστις καὶ εἴ τι θεῖον ἔνεστιν ἐν τοῖσι νούσοισι, καὶ τούτου τὴν πρόνοιαν ἐκμανθάνει. Arripuerunt eiuſmodi præconia parachymici, & mulomedici, vtque cum magna auctoritate & diuinitatis cuiuſdã exiſtimatione medicinã facerẽt, prętenderunt, repudiari ab Hippocrate medicos qui circa qualitates elementares & humores hęrerent, ſe verò veros legitimoſq; pronũciari, propterea quod chymię fiducia apprehẽderint illud τὸ θεῖον, virtuteſq;

De diæta in acutis.

In pranotionibus.

Paracelſitarum argumenta de cura morborum totius ſubſtãtia.

tuteſq; potentiarum cognouerint, & ſoli ſubſtātialibus morbis remedia per chymiā ad eſſentias redacta, ſiquidem ſimilia ſint curanda ſimilibus, occulta occultis, diuina diuinis, poſsint afferre. Auxit horum impudentiā quod Galenus fateatur methodo ad curam eiuſmodi morborum perueniri non poſſe, quod Pętus Artaxerxi ſcripſerit, *τὰ φυσικὰ βοηθήματα, οὐ λύσει τὴν ἐπιδημίαν λοιμικοῦ πάθους*, quaſi diceret, non poſſe ſanari conſtitutiones peſtilentes elementaribus medicinis & qualitatum primarum adminiculis; requiri cœleſtes à natura elementari per ſpagirian liberatas, quales cùm habuerit Hippocrates, coætaneus Democrito chymico abſolutiſsimo, ideo ſcripſerit Pætus hunc poſſe illos morbos ſanare. Accedit ꝙ Galenus ſacras eiuſmodi paſsiones antiquitus ad deos reiectas, indeq; curam petitam, tāquam nihil in medicina ſit auxilij, ſcriptū reliquit. Imò cum omne genus naturalium ſanabiliumq; morborum in ſimilares, diſsimilares & communes diuiſerit, faſſus videtur ad artem ſuam illos *τῆς ὅλης οὐσίας* nō pertinere. Negant item taliū extare apud Galenicos experientiā vllam, vtpote cùm ſubinde exoriantur noui, quibus opponenda ſint noua ſeu chymica remedia. Quod ſi incidāt in iſtos, omnē operam ludi affirmant, & vel non fieri curationē vllam, vel fortuitò fieri. Se itaq; in throno medicinæ collocant; ſibi

id arrogant quod à Diis olim eſt expectatum, vt non procul ab adoratione diuinoq; honore putentur abeſſe. Hæc adeo eſt Paracelſitarum gloria. Hoc triumpho miſerorum Galenicorum obſcurare famam totam ſatagunt, præſertim cum aliquot locis tum Hippocrates, tum Galenus videātur innuere, artem ſuam ſuis ætatibus nondum fuiſſe perfectam. Sed ideóne verè ſibi id tribuunt? Num quid confert chymia ſubſtantiæ totius morbis nulla antè methodo curatis? Indignabere procul dubio tantam labem vetuſtę inuri arti, tamq́ue fœda profeſſores eius macula inquinari. Vt intelligas plenius quid mihi in hac contentione videatur, diſſeram paucis de totius ſubſtantiæ morbis, & quo pacto ineptiæ illorum ſit occurrendum monebo. Plerique interpretes audita tota ſubſtantia neſcio quid monſtri ſibi fingunt, & extra naturæ principia id, quod in natura maximè eſt, quærunt, cumq́; omnia phantaſmata congeſſerunt, item negant naturali ſanatione obuiam iri morbis talibus poſſe, conſtanter aſſerentes nihil pertinere ad claſſem Galenicam, ſudorem Anglicum, Gallicam luem, Vngaricas febres & alia. Ego perſuaſum habeo totam ſubſtantiam nec materiam eſſe, nec formam, nec craſin elementariam, ſed conſpirationem quandam omnium ſubſtantiæ virium ad effectū eundem, illisq; conſentaneum. Nec materia

Totius ſubſtantia ratio.

ria nec forma agit ſeparatim, ſed in vnione per contemperationẽ coëuntium elementorũ facta. Neutra etiã per ſe agit, ſed interuentu in ſe exiſtentium cõmuniter virium, quarũ quædam propius referunt elemẽtorũ ſimplicitatẽ, vt calor, frigus, humor, ſiccitas, aſperitas, leuitas, acumen & reliquæ; quædam propter miſtionis rationẽ longius diſcedũt. Nam miſtio in pluribus nõ ſtatim fit poſt elemẽta, ſed poſt lõgas eaſq; admirabiles prius factas cõgredientium tẽperaturas, & alterationes ſiue ab ortu, ſiue foris acquiſitas. Nec, licet in quibuſdã aliqua præ reliquis excellere videatur, vna ſaltẽ ineſt; aut vna ad effectũ accedit. Totæ vires à calore in actũ vocãtur. Itaq; cum operatur tũ id quod elementorũ gratia ineſt, tum quod materiæ miſturâ, tum ꝙ ex craſi ꝓpria hoc incidente, illo retinẽte, alio calefaciẽte, alio refrigerante, alio diſſipante, & ſic reliquorũ vnoquoq; operãte ex ſua natura, vnde, ſicut cõtemperatio illa eſt occulta & inexplorabilis, ita & effectus mirificus; totâ ſubſtãtiâ agi pronuncio. Huic agenti opponetur non ſimpliciter calidũ, nec ſimile quid; ſed totidem viribus aduerſans, aut ſi non plane totidem, talique miſtura ſecundum omnes; certè ſecundum potiſſimam virtutem. Verè ergo ſi nobis conſtaret miſturarum & omnium virtutum ſimul operantium ratio; poſſemus ex aperta & euidente methodo

Remedium ad occulta aut totidem viribus debet eſſe præditum, aut una valida, velut quæ ignea extellere ut ſoluere occultā miſturam poſſit potenter.

Parathymeci fumū viderūt, ſed flammā non ſenſerunt.

Ars medica non deficit etiam ad occulta.

remedium occultis inuenire. Nunc autem, quoniā vſu & experiētia talium morborum vim cognoſcimus; neceſſe eſt etiā remedia ita reperire, nulla arte ad id afferēte certam euidentemq; in ſingularibus doctrinā, ſed ſola experientia iudicante. Iā intelligis opinor chymicos blaterones nihil niſi fumos meros & caliginē offundere de eſſentiis ſuis gloriãdo. Nō enim talis morbus eſſentia κατὰ γένος curatur, ſed eſſentia ſpecificè & ſingulariter ſecundū craſin & omnes vires intellecta. Id ſolū eſt ἐπιστημονικόν; id ſolū certa habet theoremata. Si nō poſſunt intelligere eiuſmodi craſes & vires omnes; nec in eſſentiis nec integris remediū in vſu inueniēt. Itaq; temeraria eſt illa iactantia. Deinde etiā hoc certū eſt, quod ars Hippocratica Galenicaq; neutiquā in ſe deficiat theorematū certitudine & methodi expoſitione. Nam euidentiſſimę eſt veritatis tot eſſe conſtitutiones præter naturā, quot ſunt ſecundum naturā. Nam in omni ſanatione finis eſt vt deleto τῶν παρὰ φύσιν, reſtituatur τὸ κατὰ φύσιν. Fruſtra autē & inſanè introducitur in naturā id quod ab ea alienū eſt, nec eius vnquā fuit. Iam autem illi principes medicinæ ex omni naturę parte ſecundū genus eduxerūt morbos. Quocūq; igitur tēpore, quocūq; ſtatu aliquis pridē nō obſeruatus exortus fuerit, eum neceſſe eſt intra genera iſta inueniri. Simplices ſunt morbi, aut miſti. Miſturę ratio

rio non poteſt explicari, & documentis comprehēdi propter ſingularium infinitatem. Simplices omnes continentur aut intemperie, aut organica ratione, aut coniunctione. Intēperies omnis in miſto miſta eſt, & nomen accipit à prędominātc. Itaq; cum Hipp. & Galenus morbos in intēperie nominant, non reſpiciunt puram elementorū ſimplicitatem, ſed eam quæ eſt in miſtura. Iam autem in hac aut vnica virtus excedit, aut plures. Et hæ vel ratione primarum qualitatum; vel omnium ſimul. Ibi vulgares fiunt morbi in intemperie, qui curantur leuiter per qualitatem contrariam, ſi hâc ſaltem eſt factus deceſſus, aut reliquę non magnopere ſunt lęſę, idq; fatetur & Hippocrates in lib. de veteri medicina. Accuratior eſt cura cum aliæ ſimul ſunt labefactatæ; Et tūc ridentur hi, qui elementares ſimplices in adiumentum accerſunt. Vbi autē omnes vel plęræq; laborant; morbi oriūtur totius ſubſtantiæ, quorum numerus & conditio non poteſt certò iniri. Itaque hîc ars ceſſat; & diuinitati reliquam noticiam, cuius ea eſt propria, commendat. Farrago morborum vbi eſt, vt in Gallica lue, in peſte & omnibus ſimilibus, in quibus effecta & ſymptomata ſunt tum per ſe mirabilia; tum ratione diſpoſitionibus hominis patientis, & varietatis cauſarum; methodus eadem iubet contrario remedio ſanationem fieri, vt ſoluta

vniantur, diſtemperata reuocentur ad temperiem, & deprauationes organicæ reſtituantur omnia ſecundũ artis leges. Nullibi itaq; ars ex ſe deficit; ſed vbi finem ſuum eſt aſſecuta, quieſcit. Artifex in vſu & accommodatione præceptorum iſtorum hæſitat ideo non, quia ars non præſcripſerat legitimam curam; ſed quia ipſe ob imbecillitatem humani iudicii non poteſt ita agere, vt ars requirebat. Ea ergo res aut diuina tota eſt, aut ſaltem non eſt pars artis ſtatuenda. Exemplo rem capies melius. Sit in aëre ex certa ratione putredinis, aut contemperationis ſeminarium peſtiferũ, quod in corpus humanum agat propter diſpoſitionem ſingularem, quæ eſt huius patientis ad illud agẽs; & ſit (liceat ita fingere) calor eius non ſimplex, ſed in miſtura, ita conſtitutus, vt ille qui putredines procreat, habens coniunctam vim penetrantẽ, ſpiritum inquinantẽ, fœtentem, ſtrangulantem acrimonia, aſtrictione & ſimilibus; cõſpirauerit certo modo frigorifica vis, quæ internum calorẽ necans corpus diſponit ad putredinem; poſſit humor putrilaginoſus, qui dominetur in ſiccum, poſſitq; ſoluere terminum cõiunctorũ; Adde & reliqua, quæ vix vlla humana cogitatio ita poteſt fingere, ſicut in natura vnà fiunt & exiſtunt. Adde receptionis diuerſitatem, & προφάσεις mirificas ſecundum membra variè affecta. Adde gradus

dus & quantitatem. Adde totius conſtitutionem hominis, conuerſationem, loca, alimenta & reliqua. Omnia hæc conſpirent. Cum illa agente cauſa modo inexplorabili, fiatque morbus Epidemicus. Aduocetur in auxilium medicus. Hìc non vagabitur circa Ideas, & humanitatem ſeu imaginariam totius ſubſtantiæ cogitationem: ſed recurret ad artem. Hæc iubet contraria contrariis curare ita, vt agentem totam cauſam, ſi adhuc eſt, amoliatur, & ſubiectum indiſpoſitum reddat ad patiendum, noxaſque inflictas propulſet; acumina retundat, calorem reſtinguat, putredinem arceat, frigus depellat, ſoluta integret & totum ſeminarium extinguat. Si iam præſciret medicus ille varietatem virium & gradus, omneſque latebras mali & graſſationes; intelligeret etiam & in promptu haberet ad tales miſturas remedium certum æqualiter aut magna ex parte aduerſans: optimè ageretur cum ſalute humana, & artis iuſſa medicus ad vnguem implere poſſet. Sed cum non ſit humanarũ virium, nec noſſe tam varias conſtitutiones præteritas, præſentes, futuras, nec medicamenta ſingulis vllo tempore pręparare; ars quidem iuſta & legitima euincitur eſſe, ſed agendi ad eam ἀδυναμία erit in medico. Hinc euenit, vt illa optima ſint medicamenta ad Epidemialia mala, quæ vires *Remedia epidemialiũ.*
habent

habent plurimas, aut maximè euidentes, quæque ipſa experientia comprobauit alexipharmaca eſſe. Inde opium, ſulphur & ſimilia prædicantur; inde Theriacales cõpoſitiones, & alia quæ vel frigore vel calore in craſi ſunt, non tamen extra omnem modum, excellentia. Ignis enim plurimis ſimul reſiſtit & fomitem abſumit. Frigus impetũ mali coercet & extinguit. Qui artificioſè poteſt accommodare ita vt non comburatur natura vel frigore enecetur, ſed ſeruetur exacto morbo, is artifex eſt. Præſtant hic chymica nullam aliam ob cauſam, niſi quia valdè agentia ſunt, ſicca, calidaque aut quia penetrantia vt mali inſidias poſſint citò attingere; vel quia plures ſimul vires ex compoſitione ſunt ſortita. Redolent enim eſſentię tales integrorum naturam. Verum enimuero non tam ſolicitus debet eſſe medicus de qualitate & modo τῦ θεῖν, quam de artis axiomatis generalibus, ex quibus ſpecialis morbi ſit petenda curatio. inexplicabilem eſſe rationem eius conſtat. Et ſi poſſet definiri certo, vix tamen in curando vltra vnam atque alteram ἔνδειξιν pręſtaret. Itaque non multum laborandum de illo, cẽſuerim. Hinc intelliges quare non multa de eiuſmodi morbis peculiariter extent pręcepta. Nam præter rationem cauſę occulta temperatione pręditæ, communibus ſubiacent iudicanturq; medicinæ

dicinæ

dicinæ indicationibus. Prima ἔνδειξις eſt à morbi eſſentia, ſecunda ab effectis adiunctisq; ſeu omnino ſymptomatis, ex quibus fieri vix poteſt, quin cauſę modum cognoſcas, ſitne ea in actu adhuc, an fuerit, & quid minitetur porro. Ex his indicationib. pręceptum eſt, quod, vbi intelligitur ex morbi genere, eius originem eſſe ex aliquo communi, tunc hoc ſit corrigendum, ęgrotusque quantum fieri poteſt inde arcendus, & ita diſponēdus ne facile poſſit à vi agentis affici. Illud autem commune eſt aër, vel aqua, vel frumentum publicum, vel contagio &c. Horum etſi non intelligas craſin; ſat tamen eſt, ſi noxiam deprehenderis. Nec ſi quid occulti eſt, id ſine manifeſtis qualitatibus, tanquã ſatellitibus, per quos graſſetur aut promoueatur, eſt. Has vbi amolitus fueris; coniiciendũ eſt aut prohibitũ impetum eius eſſe, aut diſturbatam ſubſtantiæ miſturam. Probabilis enim eſt κρίσις, ab adiunctis deſtructis de ſubiecti integritate labefactata. Ita ſi in contagio valere peſtem animaduerteris; hoc prohibebis, &c. Effectus celer & malignus arguit efficientis ſeu morbi, ſeu huius cauſæ (Nam alterũ alteri reſpondet) vehementiam & malignitatem. Inde arguitur quam nobile & citum debeat eſſe remedium, & quidnam primum agendum, quid ſecundò. Si omnia percurreris; in occultis nihil habebis nouæ doctrinæ, præ-

ter obſeruationẽ occulti. Scopi reliqui ſunt iidẽ genere cũ aliis. Nã eſſentia morbi, cauſæ, ſymptomata, loc⁹ affectus, vires ægri, ætas, tẽpus, fortunę, & alia hìc quoq; arguũt, cauſa operans tollitur; morbus factus in intẽperie adhibito alexipharmaco cum qualitatib. manifeſtis cõſtitutioni contrariis, reducitur ad naturalẽ temperaturam; in organis, organicâ curâ ſoluitur; in ſolutione aut vnione ſuo ſanatur modo; vires reficiuntur. Cauſæ inſultus ꝓhibetur; miſturę miſto remedio, abundantiæ ſubtractione & ſic alia reductione ad naturã abolent. Vides itaq; omnia comprehenſa eſſe artis vetuſtæ axiomatis, quę ſi accõmodes ad ſingulares morbos, & quamque occultorum ſpeciẽ & agas vt quæq; requirit, non poteſt deeſſe conſilium. In accommodando vero qui vir ſies, patebit. Manifeſtum itaque eſt, quid de primo ſit ſentiendum. Nullo modo artem medicam ſtatuo mancam; vſum autem eius ex parte humanum eſſe iudico, ex parte diuinum, vnde patet cur dictus ſit medicus ἰσόθεος & cur, τὸ θεῖον ſit contemplandum. chymica remedia non aliam habent methodum quam integra. Itaque ob præparationem quidem aliquid ei accedit gloriæ; ob vſum medicum vero tantum, quantum eſt in medicina induſtriè facta. Veteribus noſtrates morbos fuiſſe ignotos dicunt. Ratione præceptorum artis nego. Nihil eſt in noſtris

Noſtri morbi an ignoti Veteribus.

noſtris morbis quod non ad intemperiem, ſolutionem & organicam habitudinẽ, & illorum miſturam poſſit referri. Si miſtionis ſpecies & ſingularitas effectaq́; ſeu ſymptomata & gradus fuit ignoratus; nihil inde imperfectionis accedit illis, ſicut nec nobis, ſi cætera probè teneamus; ignoremus autem ſingularitates antiquas. Gallicam, Hungaricã, Anglicã, &c. neſciuerunt; at non intemperiem calidã, anginam, ſudores & ſimilia. Quidquid & experimento penè iidẽ morbi ſingulares ab illis deſcripti extent? Quod vna atq; altera circũſtantia in ſingularib. variãt, nõ ideo toto genere aut ſpecie eſt diuerſum, ſicut nec genere, peſtis Dionis diſtat à peſte Dioclis, quanq̃ hũc hæmorrhagia vexet, illum nõ, & alia quædã diſſimilia deprehẽdantur. Notũ eſt eiuſmodi ſingularitates non mutare ſubſtantiã præceptorum artis, nec poſſe arte comprehendi ob inexplorabilem varietatem, ſicut nec phyſicus omnium ſingularitates docet. Satis eſt illi quodque ſuo genere comprehenſum explicaſſe. Miſtiones & varietates in ſingularibus non exprimere cogit; ſicut de humido, frigido, ſicco, curuo, recto, &c. diſſerit καθ' εἶδος; quo pacto autem illa in quercu & ſimilib. καθ' ἕκαστα ſint cõmiſta, ſenſus percipit, indeq́; ratio ſecundum vniuerſalia iudicat. Confuſionum autem multitudinem non exponit. His ita ſe habẽtib. planè friuolũ & nugatorium

Ars perſequitur genera, eaq́; in ſingularib. vſu diſtinguit.

Gallica ſcabies. rium eſt, quod prędicant de eſſentiis nouis aduerſus Gallicam luem ex Mercurio parandis. Non curatur Gallica lues, vt eſt Gallica, ſed vt eſt certi generis intemperies, vt ſolutio continui, vt organicum vitium; Et ea modo ſolitaria, modo cum humoribus, & varia miſtura. Itaque ſi prędidia ſunt inuenienda; ſcopi veterum nihilominus erunt tenendi. Optimum illud inuenietur, quod ceteruæ aut principali cauſæ variis modis aduerſanti reſiſtit facilius, potentius, celerius, eamq; perſequi integris viribus poteſt ibi, vbi exiſtat, quale prędidium eſt in hydrargyro rectè parato & exhibito: vel quale fit ex Indicis lignis cum theriaca deſtillatis inuento Ferneliano, quod ipſum & quartanæ & elephantiaſi & aliis eſt alexiterium. Iudica idem de reliquis morbis. Quod negant methodo vulgata poſſe inueniri in occultis remedia; id quale habeat iudicium, antè dixi. Sed ſi Galenicæ arti id eſt negatũ, chymicæ non poterit eſſe tributum. Neq; enim chymicus, neque alius quiſpiam hominum ſic exploratas habet rerum myſtarum craſes, & virtutes, vt in vſu id præſtet quod erat ex arte faciendum. Imò videtur impotentior eſſe in multis chymicus, quia craſin integrorum diſperdit preparando, magna ex parte. Si itaque alicubi excellit apparato remedio conueniente; non vbiq; ſe excellere arbitretur. Niſi medicus ſit ſimul,

Chymia commodam medicandi materiam medico ſuppeditare poteſt, ſanare non poteſt.

mul, ne ſpectat quidem ad eum totum hoc negotium. Eſt enim alienum à chymia remedia inuenire, & medicinæ propriũ. Non poſſunt autem propria artis per aliena principia iudicari. Quod Pœtus ſcripſit naturalia non ſuccurrere peſti; id à multis peſſimè deprauatur. Tribuit Hippocrati ſanationem. Hic per naturalia operatus eſt. Deinde idem concedit arti. Ita enim loquitur: ἃ ἐκ φύσεως γίγνεται νοσήματα, αὐτὴ ἡ φύσις ἰᾶται κρίνουσα. ὅσα δὲ ἐξ ἐπιδημίας, τέχνη τεχνικῶς κρίνουσα τὴν τροπὴν τῶν σωμάτων. Arti aſſcribit ſanationem epidemiarum. Ars non curat ſine natura, ſicut Hippocrat. ait: φύσιες ἰητροὶ τῶν νόσων. Erit ergo & hæc ſanatio naturæ, & licet artificioſa vtatur methodo, non tamen excludet ſed includet naturam, vtpote circa quam benè maléve habentem occupatur, & cuius motus procurat dirigitque, vt ſint ad ſalutem accommodi. Quis Pœtum tam ſtultum putet, vt naturam planè abſoluat? Confert duo principia mouentia, alterum ars eſt, alterum natura. Negat ab hac ſolui epidemiam nempe ſola ſibique relicta, aut ſaltem cibo potuq; & ſolitis adminiculis vulgariter adiuta. Artis motum requirit, quæ corporum τροπὴν artificioſè iudicet, & ſic dirigat motum naturæ, vt morbum adiumento alexipharmacorum ſuperet. Ita ferè loquitur Hippocrates etiam de inuentione artis & praua quorundam

Remediorũ inuentio eſt ſolius medici.

Pœti iudicium.

Vide de natura humana com. 2. Vbi duo traduntur ſcopi ſanationis ἀμοιβὴ τοῦ χωρίου καὶ χρεία ὀλίγης εἰσπνοῆς.

Sententia Verborũ Pæti de ſpõte conualeſcentibus & arte ſanandis, quorum illa dicũtur phyſica, hac epidemica.

rundam medela in veteri medicina & alibi. Omnino quomodo natura non-ſanet iſta mala, indicat vox κρίνουσι, quod leuia ma ipſa per ſe ad ſanitatem perducat; grauia verò ſine adminiculo non poſſit. Reliqua paracelſicorum deliria prætereo, tum quod alibi à me ſint refutata, tum quod euanida per ſe ſint, inaniaque. Tu quæ ſcripſi bono accipe animo, & vale.

EPIST. VI. DE NOTATIONE CHYMIÆ.

AD LVDOVVICVM HENCKELIVM Virum induſtrium & Medicinæ Candidatum, Saxonem.

TV quoq;, Ludovice, Aſclepiadei noſtri quondam gaudebas conſortio. Te non minor reliquis arcanorum naturalium cepit voluptas. Quì ergo placet tibi diuina chymia? Quî diſplicet parachymia? Quanto cum feruore deſiderioq;, ni fallor, illã amplecteris, tanto hanc fugis execrariſque, & paracelſicus tam nõ eſſe cupis, quam nõ impoſtor, & nefariæ factionis aſſertor. Fuerũt olim chymici philoſophorũ præſtantiſſimi, qui maximum operæ in abſtruſorũ naturæ cognitione poſuerũt. Id enim & nomen indicat. Nam dictam chemian putant plæriq; παρὰ τὸ χέεσθαι, quod latinis eſt liquare. Opera metallurgorum in ima terræ penetratum eſt, indeque montes egeſti, & in ſuccos præſtan-

præſtantiſſimos eliquati, qui Platoni aquæ fuſiles & concretiles appellantur. Multum hîc ſecretorum ſeſe oſtendit in omni mineralium genere,& in primis ambigua metallorum natura tranſmutationes, de quibus Geberus plurimum præcepit, excitauit. Ea res viſa eſt depura non quædam eſſe & eſſentiarum confectio.Itaque in aliis naturæ partibus ſimiliter agendo ars eſt amplificata. Non diſplicet etiam alia notatio παρὰ τοῦ χυμοῦ, hoc eſt ſucco vel ſapore, quē arte ſua exugunt chymici,ſicut natura ex nutrimentis. Vnde Alchymia dicta Arabibus & Ægyptiis, quos à Græcis conſentaneum eſt id nominis accepiſſe. Græcorum enim lingua literæque quondam per totum Orientem penè fuerunt cognitæ, vt & in Ægypto & vicinis auſtri regionibus. Nec Hiſpania aliæque occidentales prouinciæ eas ignorarunt. Fuiſſe autem non tantum in Oriente fertiles metallorum fodinas,aut ſcaptenſulas,ſed & in Ægypto, Aſia minore, Hiſpania,Barbaria, ſeu Mauritania,& illarum noticiam habuiſſe chymicos, vt Auicennam, Geberum & alios, certiſſimum eſt.Qui Paracelſum ſequuntur, Spagirian vocant, & exponunt artem ſegregatoriam puri ab impuro. Niſi fallor alludit ad Græcum μαγειεία, quaſi excoctoriam metallorum & ſuccorum nominares. Sed quæcunque ſit tandem artis huius ἐτυμολογία, vera eius noticia

exercitiumque eſt pulcerrimum. Benè feceris ſi, vbi quid proficeris, ad communem id vtilitatē cōtuleris, req; & facto oſtenderis te veteri collegio adhuc aſſentiri. Vale.

EPIST. VII. QVID CHYMIA.

AD IOH. CONRADVM ZINNIVM Phil. M. & Medicinæ Candidatum.

INTERROGANTI aliquando, quidnam ſpagiria Paracelſicorum eſſet, reſponſam fuiſſe ſeparationem puri ab impuro, non opus eſt ad perſuadendum argumentis. Nota enim res eſt, & memini me aliquando cū quodam iſtius gregis ciniflone ſaltum Thuringiacū percurrentē, ſeduloque idē quærentē nihil aliud audiuiſſe pręter purum ab impuro. Hinc euenit, vt vbicunq; delectus ciuſmodi & purgatio rerū eſt, ibi cognatū qd chymiæ ſibi fingant. Gramanus ait, Molitores, Coquos, Seplaſiarios, triturones, &c. Chymiæ fauere, eamq; inſcios honorare; quod ſi eſt; non immerito in album ciuitatemq; ſpagyrorum admittas etiam figulos, vnguentarios, pigmentarios, & quid non? Coſmeticam certè excludere minimè poteris, & ceruſſandarum virginū adornatrices artes. Tu ſi definire chymiam velis; artem eſſe facilè agnoueris. Conſtat enim præceptis homogeneis, methodica forma ordineque diſpoſitis. Officium eius eſt ſuc-

eos è rebus heterogeneis puriſſimos elicere;aut eos præſtantiores reddere nobilitate & ſynceritate ſubſtantiæ viribus effectuq́; quod exaltare, aut graduare, interdum etiam ſublimare vocant, fitq́ue tum ſecundum eſſentiam tum qualitates vireſq́; coniunctas, modo addẽdo aliquid, modo ſubtrahendo, modo alterãdo, interdum tranſmutando, & ex vno corrupto gignendo alterum;interdum tingẽdo,& ſi quæ ſunt artificia plura. His autem occupari chymicum, oſtenduet ſcripta artificum & operationes. In omnibus aut ſoluunt mixtum in partes,haſq́; depurant quantum ars pręcipit;aut ipſum totum elaborant vt vires accipiat ſummas;aut tranſmutare in nobilius ignobile ſatagunt, vbiq́; abiectis impuritatib.inutilibus.Neq; tamen cũ Rhizotomus radices à ſordib. expurgat terrenis, & eluit; cum pharmacopœus medicamenta per cribrum traiicit, & inutilia abiicit; cum lotrix amicula & induſia lixiuio, ſapone & aqua purificat; Pellio emundat præparatq́; pelles animaliũ; ſutor coria. &c. chymiæ opus peragitur. Talis expurgatio,exaltatioq́ue in hac arte non ſpectatur.Quin & minerarum venarumq́; metallicarũ pręparatio & ęxcoctio non eſt, propriũ ſpagiriæ miniſterium, niſi nimiã ei tribuere velis amplitudinẽ.Plurima tamẽ vtrobiq́; opera ſunt communia, queẽadmodum tibi non eſt ignotũ, adeo vt

bonum ſpagirum ſeu chymicum, Mineralia tractaturum oporteat metallicæ artis ſcientiã optime eſſe inſtructum. Vtitur etiã metallicus nõ rarò chymicis ſegregationib. & inſtrumẽtis: veluti, chymiæ eſt ad finẽ ſuum ſegregare heterogenea, ſoluereq; compoſitum, & vel principiis p ſe ſolis vti, vel ea depurata correctave aut exaltata iterum componere ad eſſentiæ præſtantioris vſum. Hoc ipſum ſæpè præſtat & metallicus, ſed fine inferiore ſubſiſtens, vt hic quaſi miniſter ſit illius. Geberus viſus eſt totam metallicã Alchymia cõplexus, quanq̃ ad finem triplicis tranſmutationis. Quid ſi dicerem metallurgian illam eſſe fœtum chymicum cõmiſſum ſeruitijs ob operis adminiſtrationẽ rudem craſſamq;, quo pacto ſolent abiectiora magnarum artium miniſteria demãdari famulis? Multa etiam habet pharmacopœius tum confinia tum eadem, ſiue totas operationes reſpicias, vt cum fiũt olea per expreſſionem, ſiue particulas, veluti cum Medicinæ infunduntur: imò pharmacopœium nihil tam ornat perficitq; quàm chymicarum rerum induſtria, quam imitantur, etiam illi qui pinguiore Minerua ex nucibus, ſemine lini, raparum & aliis exigunt partem oleoſam. Sed non ſtatim chymicus eſt, qui aliquam artis callet particulam, aut ſimile quid operatur. Ex his aliiſq; manifeſtum eſt difficulter admodum dari poſſe definitionem chymiæ. Si
poſſes

poſſes contentus eſſe craſſiore Mineruą; ita definiendã cenſerẽ, ꝙ videlicet ars ſit (ſcientiã pinde dicas) rerũ in ſe concretarũ (vt remoueas ea, quę foris adhærẽtia facili ſegregant artificio) eſſentias, eſſentiarũq; partes p ſeparationẽ intus cõmiſtorũ elaborãdi, & ad puriſſimũ efficaciſſimũq; perducẽdi, ſeu omnino optimum in eadem ſpecie efficiendũ. Hic enim artis finis primus & ſummus eſt; quanquam non ſemper ad ſummũ eius gradum contendat, & non rarò ſubſiſtat in ſola partium per ſe ſegregatione elaborationeq; prout vſus in pręſens poſtulat. Nam non tantum, integrę eſſentiæ vtiles ſunt nobilesq;, ſed & quæuis per ſe partium. Itaq; ſi dicerem artem eſſentias elementaris naturæ ad puritatẽ internã remotis alienis pducẽdi, non aberrarẽ. Nec tũc mihi obijcias huius finis ἀτυχίαν cũ id potius diuina virtute q̃ humana, præſertim in hac vita poſſit fieri. Artis perfectio definitione exprimenda eſt, ſiue in hac ſiue altera vita aſſequamur τὸ βέλτιστον, modo id ſit ſcopus quidã vltimus, ad quẽ operando cõtendamus. Diuina autem virtute ſcopũ attingi, nõ abnuerim. Quid.n. præclari habẽt artes oẽs, ſi ademeris τὸ θεῖον? Qui deſtillãdi ſciẽtiã, aut metalla trãſmutãdi methodũ vocãt, mãcã definitionẽ ꝓ integra tradunt. Nec deſtillatio ſola eſt chymiæ, ſed quædã eius operatio, nec metallorũ metamorphoſis; vt ex p̃dictis facile colligere eſt.

Videmus itẽ aliqua in natura ſimilia artis operib. fieri, veluti cũ ſolis calore ex pinguib. exudat oleũ, & ſimilia. Ob hęc ars nõ perdit dignitatẽ ſuã, ſicut nec medicina cum multa ſponte cõualeſcunt. Ars in multis naturam exuperat, dum ad vſum prę ſtãtiſſima reddit, quæ per ſe ſibi relicta futura erãt incõmoda, veluti ſpiritus vitrioli cõteſtatur, quem conſtat ventriculo gratũ eſſe remediũ, vbi à putridis humoribus occupatur, aut nauſea, atonia & aliis quibuſdam grauatur; atqui vitriolum integrũ illi eſt infeſtiſſimũ. Ita arſenicum venenũ eſt, at arte elaboratũ noxam dediſcit, vt ad vulnera poſſit tutò adhiberi. Sed nõ addo plura. Si quid deſideraueris in data definitione; me admonebis. Non me pudebit exercitiis literariis proficere, & oculatiorem euadere. Vale.

EPIST. VIII. DE EADEM DEFINITIONE.

AD M. IOH. CONRADVM ZINnium Oringenſem med. Candidatum.

NOn me latet τὺς ὁείζοντας plurimum ab ingeniorum cenſuris variis periclitari. Minimũ nobis notæ ſunt, rerũ ὐσίαι. Definitio verò eas exigit vtpote quæ τῦ τι ἐστι explicationem quærit. Non itaq; facile eſt ſatiſfacere alicui ὐσιωδῶς definiendo. Adiuncta ſubſtantiarum & reliqua tanta in plæriſque ſunt varietate, vt vix etiam deſcriptionem à repre-

reprehenſione immunem dare poſſis. Inde & ἀποδείξεις ſunt tam raræ quàm arduæ, vtpote in quibus proprium πάθος per propriã cauſam de ſubiecto immutabili eſt demonſtrandum. Propria verò in pauciſſimis ſunt explorata. In cõgerie plurium prona ad errandũ via eſt. Recẽſui tibi epiſtola ſuperiore officia chymiæ, quæ hactenus cõſenſu artificum ſunt illi attributa, nẽpè ſoluere eſſentias concretas, & miſturas; partes ſolutas repurgare, iterumq́; componere, vt quam ſynceriſſima, viribus validiſſima, & ad vſum commoda maximè emergat eſſentia, quanquam non ſemper cõiunctio expetatur. Eadem ars etiam tranſmutat quædam & ex aquis facit aërem; ex aëre aquas, olea & reliqua, vt ita fine quodam generali perfectio artificioſa in miſtis ſeu imperfectè ſeu perfectè, ſpectetur. Quædam exaltat, ſeu per alterationem ſubſtantia manente integra perficit virtute. Si ergo his officiis ſpecialibus coniunctis, præpoſueris nomẽ generis; non inſcitè definiueris. Nam membra eſſentiam integri complent, ſitq́; inde definitio non improbanda, perinde ac ſi dicas, Homo eſt animal corpore animaq́; cõſtans rationali: Dialectica eſt ars notiones ſimplices in inuentione, & diſpoſitione ad iudicandum complexa. Sed hæc ſunt plana. Illud dubitandum potius occurrit, an non, cum chymia à fundendo ſeu liquando

dicta videatur, definiri poſſit ars bene fundendi, ſicut medicina bene medendi ſcientia, Arithmetica bene numerandi, Geometria bene metiendi, Muſica bene canendi, Philoſophia bene ſapiendi? Sed tu facile intelligis eiuſmodi definitiones non vbique commodas eſſe. Etenim nomina artium nō ſemper integrum complectūtur officium, quod tamen definitio exigit, vt quæ de omnibus ſubiectis debeat vera eſſe, non attingere, ſaltem partem, idque ideo, quia generaliſſima eſt, & omnium partium homogenearum eſſentiam comprehendit. Vox chymiæ non complectitur omnia artis mēbra, ſed tributa eſt arti ab vna quadam operatione quæ maxime incurrit in ſenſus imperitorum. Itaque non poteſt definiri ars fundendi: vt nec ars ſuccos extrahendi propter defectum, & anguſtiam. Ita Theologia de Deo quidem ſermonem & rationem notat; at plura diuina quæ non ſunt Deus, vt angelos, ceremonias, eccleſiam, &c. cōtinet. Sic pharmacopœia plura habet miniſteria, quam voce indicantur. Quidam appellant artem eſſatam, quaſi ſit eſſentiarum conficiendarum ſcientia. Sed hoc nomen parti ſaltem artis competit, niſi quis putet etiam tranſmutata integra, & alterata eſſe extractas ſolutaſq; eſſentias, quod à vanis Paracelſicis facile affirmari poſſit, vt qui omnia pro eſſentiis venditant; ſed

à peri-

à perito & artificioſo chymico neutiquam. Neque ſat latina vox eſt, ars eſſata. Figmentum ex ſomniis Paracelſicis, & ſcurrili immutandi appellationes rerum libidine extitit, vt alia plura. In libro Rogerij Bachonis hæc legitur Alchemiæ definitio: 'Alchemia eſt ſcientia docens facere & generare medicinam quæ vocatur Elixin, quæ quando proiicitur ſuper metalla, perficit ipſa completè in momento proiectionis. Hæc deſcriptio manca eſt. Vnum enim ſaltem officium chymici attingit, idque propterea, quia veteres κατ' ἐξοχὴν, aut ex vulgi opinione eum potiſſimum chymicum putabant, qui profitebatur metallorum transmutationem, quæ ſententia etiam noſtris temporibus valde eſt vſitata. Videtur quærendum eſſe, an non chymia ſit pars ſpagiriæ, vt hac voce tota ars deſignetur; illa verò ſaltem metallica metamorphoſis. Sed inutilibus quæſtionibus præciſis Alchymiam nominemus, ſiue id nomen ex parte ſiue tota natum ſit. Spero tibi de definitione ita ſatisfa-ctum. Vale.

EPIST.

EPIST. IX. DE ESSENTIÆ VOCABVLO.

AD CLARISS. VIRVM D. ZACHARIAM Brendelium Ph. & Med. Profeſſ. Ienenſem.

SCio te philoſophum eximium eſſe, nec ſcientiæ experientiæque medicæ inſtrenuum ampliatorem. Chymica verò ſtudia excoluiſti non contemnendè. Mireris ergo meam in te compellando audaciam. Sed ſi conſideres τὸ φιλόφρον καὶ φιλομαθέσμυ, admirationem pones, meæque ignoſces importunitati. Garrire tecum placet de Eſſentia chymica, quænam ea ſit, & quid deſignet appellatio. Noui illa veſtra philoſophemata, περὶ οὐσίας, quod eſſentia ſeu ſubſtantia ſit triplex; materia, forma & totum ex vtriſq;. Noui etiam τὸ λογικὸν καὶ μεταφυσικόν. Abſtractè non vagor neque phantaſmatum & ſpecierum cura tangor. Mitto illa τῆς γλώττης ἑρμηνεύματα quod eſſentia ſit abſolutum quid, τὸ εἶναι rei ſecundum ſe determinans, maximeque competens formæ, à qua ſit omne rei eſſe, ſeu τὸ εἶναι τοῦ πράγματος: ſubſtantia verò relata accidentibus, & non rarò ſubiectum deſignet; quodque hæc potius phyſica, καὶ ἐν ὕλῃ ſit; illa ἐν ἀφαιρέσει pertineatque ad Theologiam ſeu primam philoſophiam aut etiam logicam. Nullam intendo litem Theologis, qui interdum etiam accidentia nominant ſubſtãtias, vt fides eſt ſub-

ſtantia

ſtantia, quanquam Græcus loquatur conuenientius nomine ὑποστάσεως. Multo minus me ingero diſputationibus de Eſſentia diuina, vnica & ſimplici, tribus hypoſtaſibus manifeſtata. Relinquo item ſubſtantiam ſuam patribusfamilias, nec Ethicam aut ciuilem artem inuado. In foro chymico me contineo. Hic quidnam ſit Eſſentia, ſcire deſiderem. Quid perceperim ex aliis & lectione acquiſiuerim, tibi indicabo, tu iudex eris. Vulgus chymicorum, ſeu potius impoſtorum & parachymicorum, Eſſentiæ nomine quiduis à ſe præparatum producit oſtenditq;. Aquę deſtillatę, olea, pulueres, ſales, & neſcio quæ alia, imò & alterata ſolum modo & transformata in aliud eſſentiæ vocantur. Non ignoro etiam artificibus quibuſdam, vt Andernaco, Zvvingero, & aliis ita vſurpari vocem, veluti cum aurum potabile, auri ſulphur, Turbith ſolis; liquor perlarum, ſal & alia ipſis ſunt eſſentiæ. Sed in artis perpetuitate κατηχήσεις non valent, vt maximè in epiſtolis & aliis orationibus locum habeant. Quidam veſani putant ſe eſſentias formales & ſpecificas à rebus ſeparare poſſe; ita vt non amplius ad cenſum elementorum pertineant, ſed qualitatibus elementaribus ſpoliatę tranſierint in cœleſtium ἀποιῶν naturam. Inde quinta natura & eſſentia appellatur liquor ille è vino nobiliſſimus, à Lullio quidem & aliis ob puriſ-

ſimam

ſimam elaborationem, qua æmulatur naturam cœleſtē, eſſentia quinta, dictus, ſed ab aliis male ad ſomnium ſuum defendēdum, ducta maleq; explicata. Reuera eſſentia vini nō eſt; ſed quędam eius pars nobiliſſima efficaciſſimaq; artificioſa ſeparatione elicita. Nec naturam elementorum exuit, cum ardeat, & calorem obtineat inſignē cum ſiccitate ἐν δυνάμει. Quod afficitur ab elementis, id neceſſe eſt his homogeneum eſſe, & tangi compatiq;. Quæ enim generibus diſſentiunt totis; non ſe tangunt mutuo. At eſſentiæ chymicorum viribus elementorum afficiuntur. Oleum plumbi & ſpiritus vitrioli mihi hac hyeme in ſolidam abierunt glaciem vi frigoris. Eam reſoluit calor. Oleū ſuccini & ſulphuris, cum aliis ſuo congelationis modo à frigore concreuerunt. Patiuntur à qualitatibus elementariis. Itaq; & ab elementis. Quin nec fieri poteſt vt proprietates ſpecificæ & eſſentiæ veræ ab elementari materia & qualitatibus in elementaribus ſeiungantur. Portentoſum itaque hoc eſt figmentum. Qui ſapientius de chymia ſtatuunt, extractos ſuccos eodem indigitāt nomine. Sed Tabernæ-Montano non ſatisfaciunt, quin nec arti, quæ certæ rei certum iniungit, & infallibile vocabulū. Mercurius, ſal & ſulphur inique iſta nuncupantur nomenclatione. Qui balſamū eſſe arbitrantur; non procul à vero diſcedunt, niſi

niſi obſeruatũ eſſet, balſami nomine oleoſam partem potius deſignari. Quæ ergo tãdem eſt artificioſa eſſentia? Dicã quod ſentio. Noſti eſſentiã potiſſimũ id vocari, quod ex cauſis eſſentialibus cõſiſtit, quodq; proprietates rei omnes in ſe primo habet, non foris adhærẽtes, ſed inſiſtentes. Hinc euenit vt etiam ſe arguant mutuo quam arctiſſimo poſt cauſas eſſentiales & definitionẽ aliaq; quæ ſunt eſſentia ipſa, nec eſſentiæ partes, conſenſu: nec poſſunt ab eſſentia ſeparari virtutes propriæ. Hæc tibi ſunt nota. Sed neq; hoc ignotum eſt, quod vt ſimplicis eſſentia ſimplex eſt; ita miſtorũ miſta, quo pacto ſolemus de materiatis diſputare. Chymia potiſſimũ in concretis ſeu miſtis occupatur. Pura enim ſimplicia nõ egent pręparatione chymica, cũ nihil habeãt heterogeneũ. Si quid adhęret; id facili artificio poteſt tolli, veluti cum aër ex vaporũ miſtura, quæ ſecũ vehit pulueres atomos impurior redditus, depuratur, ſuæq; reſtituitur ſimplicitati. Si miſtorũ eſſentia eſt miſta; non cõſtabit ex vno elemẽto. Itaq; neq; ſulphur chymicorum eſſentia eſt, neq; ſal, neque Mercurius, neq; aqua ſtillaticia, neq; calx, quanquã non negẽ eſſentias ipſas talibus formis per artem poſſe donari, vt ſit eſſentia in forma olei, pulueris, aquæ, &c. Quin & ſi in eſſentia extracta & depurata nõ ſunt omnia ea, quę in toto; eſſentia integra nõ eſt. Noſti

ſolu-

ſolutione partium ſolui craſin vt quę ex miſtura reſultat. Craſis eſt forma miſti qua miſtum. Ex hac pendent virtutes. Itaq; & quid eſſentia reuera ſit vides, & qua arte præparanda, quomodoq; ſpectanda. Si reſoluitur totum: certe partes ſeorſim purgatæ vires & qualitates ſuas ita debẽt retinere, vt poſt coniunctionem, ſeu vnionem, (nam ſoluta iterum ſunt ad vnum integrum coagulãda) emergat prior miſtura ſecundum ſubſtantiam quidem eadem, at viribus aucta, & ad vſum promtior reddita. Si ars nequit ita coniungere denuò; eſſentias certe non elicit; ſed potius perdit, & ex illis aliud gignit priori analogum. Eſſentia magnetis longe validius debebat attrahere ferrum, magnetis lapide. Si hoc non præſtat; ne voces eſſentiam. Si natura ipſa per ſe præſtitit eſſentiam mundiſſimam: facile intelligis non eſſe periclitandum in ſolutione. Tunc autem de ſolutione conſilium ineundum eſt, cum impuritas ineſt propter partes ante miſtionem coactas. Si verò non ineſt propter has; ſed foris extra radicem, ſeu non radicaliter quid adhæret; ſatis eſt hoc tollere abſque ſolutione. Vides, quàm difficilis res ſit eſſentiarum artificioſus apparatus, cum tamẽ Paracelſicus grex ſibi omnia ſomniet facilima, & exploratiſſima. Moneo tamen, artifices hanc ἀκρίβειαν non ſemper ſpectare. Nã eſſentiam etiam hanc vocant, quam ex re-

ſoluto

ſoluto integro poſt repurgatas partes ite-rumq; coniunctas & vnitas effecerunt, licet nō omnes obtineat vires ſpecificas, imo nō raro eas, quæ nunquā in integro fuerūt obſeruatę, quanquā hoc indicio eſt vetus periiſſe, nouū verò exortū eſſe. Ita ex cynamomò proliciunt prius aquā; deinde oleum, tandem puriſſimā terræ partem ſeu ſalem. Coniunctu ri hæc denuo; potant ſalē oleo, donec imbiberit. Aquā ſeparato phlegmate inutili, cum ſit pauciſſimę quantitatis vltimo, vel etiā cum oleo ſimul ingerūt; & ſic coagulant in ſubſtantiā ſeu liquidam ſeu ſolidam pro libitu. Hæc vires cynamomi retinet omnes; proprietateſq; ex miſtione reſeruat cunctas. Potiſſima vis eſt in balſamo ſeu oleo. Vnde hoc κατ' ἐξοχὴν in plęriſq; nomine ſubſtantię accipitur. Noſti enim in tali humore radicari quaſi fundamētum eſſentiæ & virium eſſentię comitū. Vnde & radicalis pinguedo vocatur. Aqua propria raro ſeparatur ab externa, quę macerationis gratia eſt affuſa; tum quia pene ſunt inſeparabiles, vt cum duos Mercurios confundis: tum quia parum obtinet illa efficaciæ, oleumq; compenſat ſatis vim eius. Hoc ſtudent, vt menſtruum ſeparationis ſit virtute conforme. Vnde ad ſimiles vſus, vbi requiritur vis moderata, poſtea in medendo adhibetur. Sed hæc nimis prolixe. Tu conſidera & iudica. Vale.

EPIST. X. DE PRIMO ENTE.

AD CLARISS. VIRVM ZACHAriam Brendelium D. M. & Profeſſ. Ienenſem.

LÆTOR tua amicitia, mi Brendeli, magnopere. Cotem nactus ſum. Tua induſtria meum acuetur ingenium. Quærere mihi videris cum iſtam putem eſſe eſſentiã, quidnam primum ens vocem. Conquereris etiam de vocum obſcuritate, qua non illuſtratâ non cognituri ſint tyrones meã mentem. Multa me diſſerere de Mercurio, ſulphure, ſale, menſtruo & aliis dicis, quæ non videantur vulgaribus conſentire. Itane ſit mutanda lingua, vt in latinitate educatus non poſſit intelligere loquẽtem latinè? Nimis grandem mihi vna opera intrudis bolum. Loquar hac epiſtola de primo ente. Alia occaſione tyrones accipient de reliquis. Eſſentia vnde Grãmaticis dicta ſit, & quidnam tum parachymicis tum chymicis connotet aduertiſti. Addo, quod eius gratia & vi ſignificandi etiam vſurpetur interdum vox eſſatus, & eſſentificatus, eſſentialis & ſimiles. Eſſatum explicui in arte eſſata, quæ de eſſentiis eliciendis præcipit. Cum vſurpatur de re quadam, vt vino eſſato, nihil aliud deſignat quam ad eſſentiam redactum: interdum etiam liquorem rerum eſſentiis præ-

prægnantẽ: veluti, quinta vini eſſentia vocari poteſt vinum eſſentificatum vel eſſatũ, (licet barbarè): Cum infunduntur herbæ, vel aliæ res, è quibus ſuccum quendam ſubſtantialem euocat, item dicitur, præſertim à Paracelſo, eſſatum; alij à nomine infuſi appellant vinum Meliſſatum, Borraginatum, cinamomiſatum, &c. fingentes vocabula pro libitu ex libertate diſciplinæ chymicæ. Licebat & eundem humorem eſſentiis alias extractis contemperatum iiſdem adiectis, honorare. Ens autem quid philoſophicè ſit, non es ignarus. Prima logicorum entia ſunt genera ſumma. Aliâs quod in vnaquaque arte primum eſt, aut in quouis genere. Vocatur & materia prima ens primum. Genus enim maximè ſubiectum & materiam notat. In metaphyſicis primũ entiũ immobile eſt, & in phyſicis primum mouens immobile. Aliâs etiam prima ſubſtantia Deus vocatur. Quidam vetuſtus auctor aquam primi entis vocat Lullij ex vino eſſentiam quintam odoratiſſimam, & penè fabuloſam millies deſtillatã, circulatamq;. Vim eius inquit eſſe ad cõſeruandam naturam. Paracelſus nihil ferè niſi quod vulgus extractũ appellat, iſto indicat nomine. Herbas redigit tundẽdo in pultẽ. Putrefacit per menſem calore equini ventris. Auget calorem ſecũdò vſq; ad arenã. Segregat purũ ab impuro, ſeu traiicit per colũ & feces tollit.

Quod exceptũ ex colato eſt in clauſo vitro cum ſoluto ſale per menſem apricat. Quod in fundo ſubſedit, primum ens herbarũ infuſarum eſt. Vulgò negligitur apricatio; ſed poſt colaturam deſtillatione ſegregatur ſpiritus. Eodem modo gemmarum calcinatarum entia conficit prima, nempe vt craſſo ſegregato, per colaturam ſimpliciſſimus ſeu potius ſubtiliſſimus puluis in vitro per quietem ſecedat ad fundum; alij eſſentiam vocāt & ita attenuant, vt per alembicum cum liquore exeat. Liquorem poſtea in balneo moderatiſſimo ſeparant. Sed hæc res in artis perpetuitate aliud acquirit nomen. Nec ſatis dignus autor eſt Paracelſus, cui ſoli in ſcientia credas. Hæc de primo ente. Si quid certius comperero, faxim ne te lateat. Vale.

EPIST. XI. DE ENTE SIMPLICITER.

AD CLARISS. VIRVM D. ZACHAriam Brendelium Med. & Phil. Ienæ Profeſſorem.

NOvi verò iſtud, mi Brendeli, quod de entis ſimpliciter ſignificatu ex chymicis penetralibus promis. Vocant ens formalem cuiuſque eſſentiam, ſpecificis armatam virtutibus, quę elementorum ſimplicibus qualitatibus ineſſe non deprehenduntur, imo ſi exactius rem æſtimes, negāt quicquam elementare cōiunctum. Grande hoc

eſt, & ad impudentiam vſque aſſurgens poſtulatum. Nam ipſe noſti per artem genera rerum ſumma non excedi, eſſeque aliquod vltimum. Omne corruptũ tranſiit in analogum. Si integrũ fuit elementare; quod inde exiit, cœleſte per ſe, niſi cõparatione quodãmodo, nõ eſt. Arguit id corruptionis potentia. Quicquid enim elementarẽ reſipit naturam, trãſmutari etiã porrò poteſt, materia nunquã exuente contrarij appetitũ in elementarium genere, quandiu futurus eſt hic mũdi vultus. Si qui itaq; ens chymicum proponunt tale, vt ab omni abſolutum elementari cõtagio, per artẽ in cœleſtem trãſmigrauerit naturã, falluntur, & ambitioſis verſuteq; confictis mendaciis potius operũ ſuorũ emtores admiratoreſq; quęrunt, quã veritatis illuſtrationẽ. Qui verò docẽdi gratia & quid diuerſum à maculis impuritatibuſq; elementariis oſtendendi animo ita vtũtur vocabulis, explicatione verò nihil intelligũt aliud, quã quod res eſt; illis debetur venia propter diſciplinarũ & artificũ libertatẽ. Quandocunq; ita ens appellatur chymicum, rem quandã materiatã accipiemus, quã, cum natura nõ ſine ſuperfluis alieniſq; & multũ impuritatis afferẽtibus, ſi vſum in ſanitate cõſeruanda recuperãdaq; per medicinã (Nam alio naturę ſeu naſcẽdi fine nihil eſt ſuperfluũ, quod perpetuo coniunctũ deprehẽditur) ſpectes, produxerit, chymia

eò deduxit puritatis, nobilitatisq; vt cũ cœleſtibus poſſit cõcertare. Hæc nõ eſt omnis qualitatis elementaris expers, ſed ſaltem ad moderationem perducta eam, vt potius vires ſubſtãtiales, quæ craſin inſitam ſequuntur, in operatione deprehendantur, quam calor aut frigus & reliqua. Eſt inter philoſophos quædã contentio de elemẽtorum natura, vt hæc per ſe eſt, abſq; paſſionibus externis & miſtura; quin & de miſtorũ quorundam conditione. Aiunt quidam omne elementum omneq́; miſtum in radice ſuæ ſubſtantię tam eſſe purum, vt pelluceat, niſi comminutione in puluerem definiatur ſeu terminos accipiat, ſed continuitatem ſeruet ſuam. Hoc vultu quam maximè acceditur ad naturam cœli puri. Itaq; & nobiliora elementa nõ vacant perſpicuitate, & in ipſis miſtis, quodcunq; tale ratione integritatis naturalis, eò æſtimatur plerunq; pretioſius. Iam autẽ entia chymica cum depurata ſunt, cõtinuitate ſua penè omnia trãſlucent. Hoc ipſo luminis cœliq́; ęmulantur conditionẽ. Nõ abſurdè itaq; tum in ſe inter elemẽtata pro nobiliſſimis habentur, tum foris cum cœlo aliquid cõmune habere exiſtimantur. Sed tu me dices patrocinandi gratia hæc protuliſſe nõ ignorantem in miſtis plurima eſſe nobilitatis abſolutæ, vt & in cœlo aſtra, quæ tamen non ſunt diaphana. Ego tibi iſtud lubens cõceſſerim, ſi pro ingenio tuo

Puritas elementorum.

aliquo

aliquo me lucello velis ditare. Velim enim ex te ſcire an non terra tunc magis ſit ſuæ naturæ cum pellucet; & an non aurum præſtantius ſit cum opaci nihil habet. Aſtra certè ob vſum mortalium ſunt coacta. Primæuum lumen, ex quo ſunt addenſatione confecta, fuit pellucidum, quod ego ex conditione prima & radiis ſolaribus lunaribusque in perſpicuo puriſſimo firmiter concludo. Quod ex accidente eſt, aut fine ſeruili factum, proprietatem ſubſtantiæ in ſe non labefactat. An non tu putas omnia fore pellucida in altero mundo? Vtinam ſaltem pectus hominum hic perſplenderet, quo poſſemus in abdita cordis penetrare, & verſutias deprehendere. Sed hæc oblectamenti gratia obiter tanquam ſales ad epiſtolam condiendam aſperſi, ne ad te perueniat mucida putidaq́;. Cæterum ens chymicum non procul diſtat ab eſſentia. Aliquando enim alterum pro altero ponitur. Sed vt philoſophus in categoriis ſuis ente fuit vſus; ita velim in chymia idem vſurpari vocabulum, vt deſignet latiſſimo ambitu quoduis artis opus ſeu ποίημα, cum eſſentia rectè dicatur de his quæ materia formaque vnitis & ſpecificis proprietatibus armatis ſecundum totam miſti ſubſtantiam, nulla ſubtracta parte, ſunt abſoluta. Vocabitur itaque ens chelidoniæ tum tota ſubſtantia, tum quæuis

pars huius; eſſentia verò totum duntaxat chymicè præparatũ nullo omiſſo, quod ad integritatem pertineat ita vt contineat ſalem, ſulphur, & aquas ſimul. Ita ſe habent & generum entia. Nam eſt ens alimenti; eſt ens veneni; ens alexipharmaci; ens morborum & reliqua. Non ignoro quod aliquando tenuius quid deſignetur per eſſentiæ vocẽ, quodq; contra ac ego ſcripſi, ſoleat ſumi pro quauis ſeu parte ſeu toto operis chymici; ens verò puram putam ſubſtantiam cum proprietatibus ſignificet, & in generibus comprehendat τὸ εἶδος καθ' ἀυτὸ, quo pacto ſolent definitiones perfectiſſimæ ex genere & forma ſolis fieri: veluti; ens alimenti, eſt abſolutè ſubſtãtia primũ & per ſe nutriens, ſine omnibus adiunctis, quæ natura tanquã ſuperflua excernere ſolet: Ens morbi, ipſa eius Galeno vocata eſſèntia: ſed neque hoc ignoro, quod vulgaris iſte vſus ſit erroneus, nihilque habeat certi. Ego velim ad philoſophorum placita reſpici potius, in quorum explicatione ὡς ἐπὶ πλεῖστον ens communius quid eſt, quam eſſentia ſeu ſubſtantia. Si qui ens in chymia dicunt pro eſſentia; eos per ſynecdochen κατ' ἐξοχὴν loqui crediderim.

Ens morbi. Sed quid tu de ente morbi à Paracelſicis deſcripto iudicas? Potéſtne id explicari per Galenicam οὐσίαν? Fingunt illi ſubſtantiam quandam ſeparabilem intra nos exiſtẽtem, quę conſtet materia phyſica formaq;. Vnde

dicunt

dicunt febrim expui poſſe. At Galeno morbus conſtitutio præter naturam inſeparabilis eſt, nec ſubſtantia ſed accidẽs, cuius proprium eſt non εἶναι ſed ἐνεῖναι. Itaque cum morbi definiuntur Galeno: formaliter potius quam materialiter explicantur, materię locum obtinente genere & ſubiecto, vt febris eſt calor præter naturam in corde; non autem febris eſt bilis inflammata. Si molliter tractandus eſſet paracelſus, pro ſtultitia ſua diceretur forte cauſam externã aut ſubiectum quoddam pro ſubſtantia materiali poſuiſſe, ſed ni fallor, tu ita expuentem febres ad coruos ablegabis. Ens veneni Galeno eſt ὅλη οὐσία αὐτοῦ. Etiam hoc ſeparant à corpore parachymici, dicentes in Arſenico aliud eſſe eſſentiam arſenici, aliud ens veneni, perinde ac ſi diceres in homine aliud eſſe ens hominis ſeu eſſentiam, aliud ens animalis. Nam ita comparatio eſt. Arſenici genus ponitur venenum. Habet autem id inſuper ſuam formam ſicut logici dicunt in ſpecie plus eſſe quam in genere. Si logicè loquerentur; ferendi eſſent. Reuera enim alia ratio eſt animalis, alia hominis. Sed deterius id eſt, quod prætendunt ſe poſſe iſta ſeparare, & ens veneni Arſenico ſubtrahere, manente nihilominus arſenico, & ita ſubtrahere non vt pereat planè illius ratio, ſed in peculiari reſtet ſubiecto, non aliter ac ſi ex napello ſuccum virulentum ita edu-

Ens Veneni.

cas,vt reliquiæ nihil retineant veneni. Vbi vero craſis rei? Arſenicum, napellum & ſimilia toto genere & ſubſtantia venena eſſe pronunciant ſapientes. Nam pernicies ex miſturæ dependet proprietate, nec poteſt ea tolli niſi perdita diſſipataque craſi, quæ eſt forma miſti, vt miſtum. At forma deſtructa, res perit. Itaque ens veneni re vera ab arſenico non poterit abſtrahi, quin deſinat arſenicum eſſe, & non niſi æquiuoca ratione τὰ λείψανα retineant nomen. Nec craſes ſunt ſeparabiles. Itaque dementiæ proximum eſt, quod putant ſe poſſe ab Arſenico auferre ens veneni, ſi hoc illi ineſt per craſin. Occurres mihi Eraſticis epicherematis, quibus confici ſolet, Rhabarbarum non eſſe niſi τὸ ὅλον. Sed ego me contineo in foro chymico, dicoque ſi ens veneni arſenicalis ſeparabile eſt, id ita ſegregari ſicut à craſſis corpulentiſque partibus ſuccus, in quo nihilominus reſtat craſis, cuius gratia extractũ vocatur eſſentia; id autem quod reſtat inde, caput mortuum & fex non autem arſenicum. Quod ſi vagantur in generum ſeparatione, putantque φυσικῶς ens veneni ab arſenico tolli, non autem ens veneni arſenicalis; ſtultitiæ eos conſecrem. Eadem ſententia eſt de ente Bezoardico. Corollarii loco peto ex te, vt mihi explices iudicium controuerſiæ horum, qui venenum ſubſtantiane ſit an accidens, inter ſe diſce-

diſputant: veluti ſitne ſcorpio venenum, an aliquid accidentarium in ipſo. Intelligo autem ſcorpionem ea ratione, qua ſolemus Zingiber appellare in pharmacopolio. Expedies ſimul poſſitne dici ſcorpio, ſi vim ex craſi perdiderit; ſicut an ſit magnes primum, cum non amplius trahit ferrum nec obſeruat lineam mundanam. Ego inclino ad negantes; & ſi mihi obiiciunt vim ſaltem, oſtenduntque reſiduum corpus; craſin, à qua res eſt id quod eſt, demonſtrari peto. Non enim ſi corporis continuitas à vi ſpecifica perdita manet, craſin reſtare neceſſe eſt. Hæc enim eſt ratio miſturæ interna. Sed non exonerandus nimium. Vale, & te mihi beneuolum præbe.

EPIST. XII. DE CONſtitutione artis chymicæ.

AD VIRUM ORNATISS. D. ZAchariam Brendelium Phil. Med. & Profeſſorem Ienenſem.

AEgyptios olim cum aliis hominibus de vetuſtate gentis & primatu originis contendiſſe, & Pſammiethici regis leuiculo argumento Phrygibus, quod horum lingua Beccus, quam vocem incluſi infantes impetu naturæ ſpontaneo citra diſciplinam, editu derant primam, panem deſignaret; ea autem putaretur gens prima, & quaſi ſponte naturæ facta, cuius lingua eſſet ſolius na-

turæ opus, quaſi non δύναμιν tantum, ſed & actum loquendi, ſicut Socratis teſtimonio ſapiendi ſciendique ἐνέργειαν, ipſa produceret ingeneraretque, ceſſiſſe, autor eſt Herodotus. Sed illam litem diuina pridem ſoluerunt oracula, Chaldæis & Babyloniis, ſeu quod in eorum terra Adamus ſit primum conditus, ſeu quod duce primum Enocho ex Caino genito, poſtea Nimrodo prima ibi extiterit Reſpublica, & imperiũ, dignitatem iſtam attribuentia. Sicut autem autoritate illa contẽtio originis primæ ſublata eſt; ita & altera, qua de artium inuentoribus decertatur. Idem enim locus qui primam Rempublicam vidit, vidit & artium exercitiorumque tanquam vinculorum ſocietatis humanæ & auxiliorum primordia. Muſicæ inuentum ad Iubalem refertur, ſartoriæ ad Noëmam; Metallurgiæ ad Thubalcainum. Si me, Brendeli, interroges de chymiæ primo exortu, quid reſpondeam aliud quam ante diluuium in orientali parte, occupata à Cainitis, cum metallurgia ingenio Thubalcaini extitiſſe? Scientia enim elaborandorum metallorum, quicquid habet operum præſtantiorum, id ſibi vendicauit chymia, quanquam vt fieri initio ſolet, non ita primitus nominata, ſed poſt incrementa culturamque ſeculis poſterioribus. Eſt autem veriſimile ex Cainitarum regione ad Setheos perueniſſe inuẽtum. Vnde in

dein poſſeſſione horum poſtea fuit ſolum, illis diluuio ad internecionem extinctis. A diluuio cum tribus Noei filiis iterum diuideretur orbis, alia fuit orta dubitatio, ad quodnam principium ſeu quem propagatorem primum tum aliæ artes, tum etiam chymia ſit reuocanda. Platonici, vt vidētur, Ægyptiorum narrationibus admoniti, Prometheum illũ fabuloſum nomināt, qui hominibus ſtultitia & temeritate Epimethei omni ornamento auxilioq́ue vacuis ignem artificioſum ex Vulcanica, quæ vnà cōprehendit Metallurgian, & ſapientiam, ciuilemq́ue conſuetudinem ex Mineruæ templo & rota ſolis raptam donauerit, atque ita ſufficientibus eos ad colendam humanitatem inſtruxerit adminiculis. Horum autem ſententia aptè congruit cum hiſtoria. Nam Vulcanus ille & Minerua, qui alii ſunt præter Thubalcainum & Noëmam? Hi officinam inſtruxerunt in Orientali plaga, vbi ſolis calor inſignis, & vbi Vr ſeu ignis colebatur pro Deo. Inde Prometheus, qui Iapeti filius, aut ipſe Iapetus fuiſſe creditur, diſciplinam petiuit, poſtq́ue diluuium poſteris commendauit. His reſiſtunt alij. Omnem enim artis inuentionem referunt ad Chameos, quibus obuenit ſorte plaga auſtralis cum Ægypto. Prometheum quoque Ægyptium fuiſſe tradunt, qui in Orientem profectus, vbi imperium habebant Nimrodei,

item

item ex Chami gente, quæ ſuã regionẽ per vim ſubtracta ſemitis parte orientis ampliauerat, artificia inde detulerit. Ex Ægypto etiam oriundus fuit Hermes, qui tempore Galeni quoque fuit notus, & Abrahæ fuiſſe coætaneus traditur. Sed hãc conciliare diſ-
Hiſtorica explicatio Promethei. ſenſionẽ facile eſt. Palàm enim eſt patriam artium primam vt & imperii fuiſſe Babyloniã ſeu Chaldæam. Huic & prima debetur inuentio autore Bubalcaino, & poſt diluuium prima cultura vtpote hærente adhuc metallorum memoria, ob quæ Nimrodus Ægypto egreſſus potiſſimum eas terras petiuit, & materia artis denuo effoſſa artem exerceri iuſſit. Solẽt enim artifices eo confluere, vbi copia eſt vtẽdi artificii, ſicut Iberi foſſores in Hiſpaniam & Mauritaniam ob id tranſierunt. In Ægypto nondum apertis ſpecubus metallorum, nondum tunc fuit vſus artis. ſed poſtea occaſione ſeſe oſtendente, & inuentis metallis, ex oriente apparandi ſcientia per Prometheum fuit petita; & tunc quaſi homines inciperent naſci, inque formam Reipubl. & imperii ornatiorem redigi, diuites venæ allicientes multitudinem & adminicula ſuppeditantes, anſam fabulæ de Prometheo & Epimetheo præbuerunt. Inde autem iterum ad Caucaſum in Aſiã miſſus idem artifex, venas ſcrutatus eſt plures tanto cum feruore, vt etiam dictus fuerit alligatus in pœnam

furti, illi monti fuiſſe, ita vt aquila addita, hoc eſt, argentum viuum vel hydrargyrus, quæ deſignantur voce aquilæ, potiſſimum chymicis vſurpata in lapidis myſterio, eius abſumpſerit immortale, ſubindeque renaſcens cor. Quis dubitet, cum & Hermes chymicæ tranſmutationis parẽs ſecundum vulgi famam, in Ægypto fuerit, & aquilam chymicã ſummo ſtudio excoluerit, in candẽ curam in Aſia in officinis Caucaſi incumbentem prometheum cor ſibi ſuũ maceraſſe? Quicquid ergo de chymia metallica ſciuit Ægyptus, quicquid partes Septẽtrionales, id totũ oriens produxit, primis inuẽtoribus Cainitis ante diluuiũ; primis aũt à diluuio reſtauratorib. propagatoribusq; Chamæis. Sed quorſum tãdẽ iſta dices? Autores audio nõ ſat caſtos. Nota.n. impietas Caini eſt: nota Chamęi & Nimrodi. Ab his, ſubſidio metallorũ omne ferri ius ortũ eſt, & quicquid malorum ex metallis & aurificio orbis paſſusq; eſt & patit, ad illos redit principes, vt ſit digna ſeminario planta. Verũ ego, mi Brendeli, iſtud non curo, nec q̃ boni malive autores extiterint in præſens quæro. Illud vehementer admiror, quod tantis mundi tam vetuſti ſtudiis quæſita accerſitaq; chymia, nondum ita ſit exculta, vt à nobis legitima artis forma comprehenſa, & axiomatis neceſſariis, æternis primis veriſque ita expoſita, quemadmodum in demõſtratiuis

tiuis ſcientiis fieri conſueuit, legatur. Excepta Theologia, nulla eſt ars vetuſtior fabrili, hoc eſt, metallorum fodiendorum, & excoquendorum ſcientia, quæ ſimul initium fabricæ ferrariæ & alijs præbuit. Quis ergo ſecula occupauit torpor, vt hac ſola neglecta, reliquas tantopere arripuerint, ſuoque ornarint cultu? An non quod optimum diuiniſſimumq́ue eſt, contentiſſimis petitur ſtudijs, & elaboratur præſtantiſſimè? Sed non eſt chymia inſtar aliarum artium. Hæ ſunt vulgo commiſſæ & ab eo ideo arreptæ quia captui ſimplici viciniores. Chymia abſtruſæ & inuentionis eſt & exercitij, excepta parte abiectiore, quæ ruditer tractat metalla. Itaque in abditis philoſophorum eſt retenta, & ob difficultatem etiam ab externis neglecta. Autores & propagatores ipſi non tam vt præceptis comprehenderent ſcientificis artem ſtuduerunt, quam vt tectis myſticisq́ue eloquijs operationem adumbrarent, indeq́ue ſibi diuinitatis cuiuſdam admirationem conciliarent. Poteſt & hæc omiſſæ informationis cauſa eſſe, quod nondum tota fuerit inuenta, aut ſolicitè culta. Nam priſcorum monumenta duntaxat mineralium doctrinam comprehendunt, & in tranſmutatione plurimum abſumunt operæ. An bellis & alio infortunio perierunt libri? Recentiore ætate Geberus de Alchymia plurima exhibuit præcepta

cepta, eaque diuiſione, definitione, cauſarum, effectorum adiunctorumque argumẽtis ita illuſtrauit, vt nihil ferè deſit ad ſpeciẽ Ariſtoteleæ per ἐπιστημονικὴ informationis. Sed omnia ferè ad tranſmutationem & naturæ metallicæ cognitionem adhibuit, ſicut qui eum ſequuti ſunt, (quidam etiam anteceſſerunt) philoſophi quos in volumen vnum congeſtos exhibent noſtrates typographiæ. Lullius celebrauit etiã vegetalium chymiam, cumq; eo alii plures. Extant aliqui libri de deſtillatione. Hæc enim maturè in officinas medicas eſt recepta. Sed neque metalla transformare & adulterare, nec quintas eſſentias extrahere per vini ſubtilem ſpiritum; nec deſtillare, omnia chymiæ officia complent, etiamſi coniungantur. Iohannes Guintherius Andernacus, & Geſnerus (ſi huius eſt Euonymus) multum ad iſtam ſcientiam attulerunt lucis. Sed illi pauca præceperunt de generalibus artis. Speciales elaborationes habent plures. Paracelſus non ſectatus eſt vltimas. Primatum ſibi tam in hac quam in medicina violentè rapere fuit conatus. Ille archidoxa progenuit, in quibus videtur voluiſſe quidem artis formam conſtituere, ſed non eſt aſſecutus. Præcipit enim de conficiendis magiſteriis, quintis eſſentiis, & reliquis. Vbi verò præcepta operationũ generalium, ex quibus neceſſe eſt hauriri modum ſpecialium?

Quid prodeſt iuberi deſtillatione oleum conficere. Si ignores quæ ſit deſtillandi ratio? Sed nec ſpeciales operæ omnes induſtriis placent artificibus & experientię. Plures repudiantur. Itaque artis κατάστασιν ſufficientem ille non dedit. Et qui poſſit dare homo eiuſmodi informationum, & logicę methodi, quæ fons eſt conſtitutionis artium, prorſus ignarus? Eius aſſeclæ Dornæus, & Durneiſerus chymias & magnas Alchymias pepererunt. Sed & ille ſine arte artem facere tentauit, & hic ampliſſimæ policitationis titulo plus ambitionis quæſiuit, quam præſtitit artificioſæ deſcriptionis. Nec abſoluit, quod eſt auſpicatus. Nec video quid, ſi etiam ad finem perduxerit, amplius aliis ſit daturus. Phyſiologias enim quaſdam & hiſtorias recitat, indeque promittit ſpeciales operationes, vt quo pacto ſit oleum ſalis, eſſentia auri & reliqua conficiẽda, quæ etiam vidi rythmico libello ab eodem deſcripta. Hoc autem mihi non eſt rectè docere. Principiis enim primis neglectis ad infinitatẽ ſingularium diſcipulos ſtatim aſſuefaciunt quaſi operæ pretiũ ſit ſcire, quo pacto nucis oleũ eliciatur, & non prius intelligere parandi oleum καθόλου rationem καὶ κατὰ παντὸς; aut poſſe oleum Iuniperinum comparare deſcendendo, & non prius didiciſſe catholicam deſcendendi methodum. Si enim poſtea inſ-

ſeris

ſetis oleum Guaiaci item deſcendendo facere, niſi præcognouerit generale præceptum diſcipulus, hic hæſitabit, ignorans omniumne idem ſit modus an diuerſus. Ita videntur mihi dialecticam docere, qui inſtillant axiomatum veritatem & falſitatem ex rerum natura æſtimandam, prius quam ipſam naturæ affectionem, qua latente iudicium veri latere neceſſe eſt, explicarint. Pollicetur Tabernæmontanus chymiam quandam deſtillatoriam in commentario botanico. Sed illa non apparet. D. Crato mentionem facit monaſtici cuiuſdam libri apud clariſſimum Singmoſerum inuenti, quem vt ſibi compararet, acriter inſtitit apud viuum, celebris Norimbergæ Medicus Ioachimus Camerarius. Sed is quoque aut latet, aut periit. Quin ergo accingeris ad artis plenam conſtitutionem perfectionemque? Eo in loco viuis, vbi tibi non deſunt præſidia. Ea es conditione, vt profeſſio ipſa exigere tale quid videatur. Non eruditio, nō facundia, non experientia, non methodus tibi deeſt. Inſtaurator Aſtronomiæ dicitur eſſe Vraniburgi Tycho de Brahe. Quin tu laudem ex chymia tibi aſſeris? Archimedi ſepulchro inuentionis argumentum impoſita ſphæra dicitur. P. Ramus inſtauratæ logicæ ſibi popoſcit monumentum. Alii ſuum Azoth ſibi præferunt. Tibi piè defun-

ꝗo ſtatuam ponemus chymicam, ſi tuæ induſtriæ artis abſolutionem debebimus. Non deſunt quidem etiam alibi viri docti peritiq;. Sed illis ſua prouincia tantum creat negotii, vt vix vacare chymiæ adornandæ queant. Quod ſi otii quid & facultatis illis eſt, pariter tecum rogatos velim, vt publicę conſulant vtilitati; & chymiam artis integrę forma donatam tyronibus velint concinnare. Non addo plura. Vale.

EPIST. XIII. METHODVS conſtitutionis artium.

AD VIRVM CLARISS. D. ZACHAriam Brendelium Phil. Med. & Profeſſ. Ienæ.

QVOD te nuper ad artis chymicæ informationem, Brẽdeli docte, ſum adhortatus, fiducia ingenii tui & diligẽtiæ factum arbitrere. Quem enim in aliis naturæ operibus ſolertem induſtriumque, & minimè oſcitantem deprehendas, cur eum non in chymia, cuius ſingularem item ſibi acquiſiuerit noticiam, idoneum putes? Sed quid tu mihi oppoſiturus ſis, dudum, niſi fallor, prænisum habeo. Vt alia omittam, de artis modo plurimũ videris mihi dubitare poſſe, idque propter contentiones, & increpationes hodiernas, cum vix inueniatur in Ariſtotelea ſchola, quin à recentioribus logicis

gicis egregriè exagitetur propter conſuetas vetuſtis artium κατασκεύας, quas illi contemnunt. Nec deerunt fortaſſis chymici, qui eodem tibi moleſti futuri ſint argumẽto. Videri enim ex his aliqui volunt Ramæa induſtria confidere, & methodicas ſcientiarum elaborationes ad ingenium iſtud accommodare. In hac ipſa difficultate quid ipſe ſentiam, anteuertens factum tuum, non grauabor aperire. Non probo illorum rationem, qui varias artis particulas à diuerſis ſeu inuentas ſeu excultas varieque tractatas in vnum compingere volumen ſine iudicio & methodo vera ſatagunt. Quid eſt facilius quam alienos conſcribere ſermones & in cumulum coniicere? Obiter percurrunt autores, inductionibusque aſteriſcis aut obeliſcis in tranſcurſu notant ſententias. Has vel librorum ordine, vel elementaria initiorum deſignatione, vel quouis tumultuario cæcoque plane iudicio per amanuenſes deſcribunt, & nomine artis ad prelum mittunt. Hoc modo cui inſeruitur præter librario? Nihil putidius incertiusque illo ſtudio. Alii cum audiunt philoſopho τέχνην definiri γνῶσιν καὶ ποίησιν; artem compleri operationibus credunt. Itaque quaſcunque conuaſare poſſunt, vndecunque conſcribunt operationes, & in libellum coniectas pro chymia

vendunt. Sed omiſſis talibus, ipſe iudico non diſcedendum eſſe à vetuſta artium & ſcientiarum conſtituendarum methodo quam accuratiſſimè proſecutus eſt in poſterioribus analyticis philoſophus. Huic qui inſiſtere velit, ei ſcire conuenit, quod ἡ τέχνη καὶ ἐπιστήμη re & eſſentia non differant, ſed ſaltem λόγῳ. Ars enim vocatur eadem σύλληψις ἀξιωμάτων cum accomodatur ad generationem, qua opus aliquod fieri debet. Scientia nominatur ratione principiorum operationis, quæ extructa ſunt ex cauſis aliiſque ſcientificis, quanquam propriè appelletur ſcientia ea, quæ ex principiis eſt, per demonſtrationem, quaſi ſciantur συμπεράσματα tantum neceſſaria ex cauſa immota deducta. Chymia itaque vno eodemque opere pro arte & ſcientia accipietur, & ita adornabitur. Iam autem philoſophus vtramque conſtituit ex principiis ſeu axiomatis primis, quæ vel ſua euidentia ſtatim manifeſta ponuntur, vel demonſtratione firmantur. Principia vult eſſe catholica, ad quæ perueniendum ſit ſenſu & experientia. Cum enim non ſint inſita nobis niſi κατὰ δύναμιν; in actum veniunt iſtis duobus inſtrumentis, quibus νοῦς conſtituitur καὶ ἐπιστήμη. Hinc recte dictum eſt ab Ariſtotele:

ὅτι δ'

ἐκ δ' ἐμπειρίας, ἢ ἐκ παντὸς ἠρεμήσαντος τοῦ καθόλου ἐν τῇ ψυχῇ, ἢ τοῦ ἑνὸς παρὰ τὰ πολλὰ, ὁ ἐν ἅπασιν ἓν ἐνῇ ἐκείνοις τὸ αὐτὸ τέχνης ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμης. Ex experientia principium eſt artis & ſcientiæ, ſiue omnino vniuerſali quieſcente in anima, ſiue ſingulari præter multa, quod ineſt vnoquoque vnum idem cum ipſis; quaſi velit in informatione ſcientiæ, aut vniuerſalia pridem ex collectione inductioneque ſingularium facta & in anima repoſita, eſſe reſpicienda, aut ſingularia ea, quæ cum in multis ſint, vnam tamen perpetuam habeant ideam, ſitque vnum pro omnibus. Qui itaque chymiam velit conſtituere, illum oportet ſenſibus, & experientia pollere, nec minus mente & intellectu diuitem eſſe. Sed nec omne quod expertus eſt, erit eiuſdem artis eſſentiale. Itaque iubet philoſophus compingere τὰ καθ' αὑτὸ quæ ſunt homogenea, excluſis omnibus heterogeneis. Iuxta hanc doctrinam nihil in chymiam recipietur, quod non ſit chymicum: Nihil niſi quod verum. Omne enim falſum heterogeneum. Præterea in omni quæſtionum genere, tantum quatuor ſunt ſcientificæ, hoc eſt, quæ per propriam cauſam rem explicent. Scire enim eſt per cauſas cognoſcere, easque primas & immotas. Vna

eſt, εἰ ἔστι. Hæc ponit ſubiectum artis conſtitutum iam cauſis eſſentialibus, veluti in Arithmetica eſt numerus; in Geometria magnitudo; in muſica harmonia, & ſic in aliis. Ponetur hoc etiam in chymia, & non ſimpliciter κατὰ γένος ponetur, ſed expandetur diuiſione à ſummo per intermedia vſque ad vltimum, quo pacto requirit forma ſcientiæ methodica. Diuiſio autem quomodo artificioſè ſit inſtituenda, ſuis declaratur præceptis. Moneo tamen hîc plurimum eſſe difficultatis, & ſæpe numero non poſſe nos ad eſſentiam peruenire, aut totam artem vno diſtributionis genere vſque ad vltima deducere. Plurimum obſeruamus diuiſionem integri in membra, & generis in ſpecies vel formas. Vſus & conſenſus artificum hîc multum habet ponderis: ſed ingenio iudicioq́ue exacto eſt opus. Cum poſitum eſt, diſtributumq́ue artis ſubiectum: alia oritur quæſtio τί ἐστι. Et hæc iam eſt axiomatica. Illa potius erat topica. Quærimus enim de definitione rei; vnde emergit diſpoſitio rei definitæ cum definitione, ſicque conſtituitur axioma. Perducetur autem definitio à ſummo genere per omnes ſpecies vſque ad vltimam, & vbi fieri poteſt eſſentialis perfectaq́; dabitur. In axiomatis quoq; καθόλου ſunt quędã p̃ſcienda. Nõ enim quoduis axioma eſt ſcientificũ principium, quan-

quanquã philoſophus anguſtiore vocis vſu ſolummodo demõſtrationi largiatur axioma. Verum quidem omne eſt; ſed cum hoc ſit duplex, ἀναγκαῖον καὶ ἐνδεχόμενον: ſolum neceſſarium eſt ſcientiis proprium, contingẽte excluſo. Quod enim ſcitur, & ſcientiæ principium eſt; id aliter ſe habere non poteſt. Itaque & particularia axiomata ab artibus remouentur, cum in his quod prædicatur partim inſit, partim non; ſeu dari poſſit, vbi aliter ſe res habet. Conſequens his eſt, omnia debere eſſe κατὰ παντὸς. Catholica eſſe, ante monui; catholica autem πρώτως, ita vt ſint ἄμεσα, in quibus nihil dari poſſit prius. Debent enim axiomata eſſe principia. Tertia quæſtio ὅτι ἐστι, qua exigimus proprium effectum de ſua cauſa, & proprium perpetuumq; adiunctum de ſuo ſubiecto. Huic vicina eſt quarta, quæ poſtulat τὸ διότι ſeu διὰ τί, quæritque cauſam formalem, ſeu primam immotamq; cur propria paſſio ſit in ſubiecto ſuo, & totam rationem ſyllogiſmo comprehendit demonſtratiuo. Hæ vero duæ quæſtiones non in vno ſaltem ſunt diuiſionis membro, ſed in omnibus. Itaque quoties noua ſpecies definitur, toties de propriis effectis adiunctiſq; quærendũ eſt, & ratio reddenda per cauſam formalem, quantum fieri poteſt. Inſeruiunt ergo ad artium informationem diuiſio ipſius rei artificioſa à ſummo vſq; ad indiuiduã ſpeciem

H 5 conti-

continuo eoq; eſſentiali ductu, cum genus ſit cauſa effectæ ſpeciei, & vtrumq; eandem comprehendat eſſentiam materialẽ formalemq;. Deinde definitio, & axiomata proprietatũ in effectis adiunctisq; ex cauſis ſuis inuentarum. Plura non requiruntur. Quod enim aliqui addunt interpretaměta & modum inuẽtionis & praxeos cum diſputationibus variis, id docendi potius explicandiq; coram diſcipulis fit conſilio, quam artis cõſtituendę, quę ſua per ſe gaudet ſynceritate. Si quis velit addere exegeſes; ſeorſim à pręceptis eas ponere poteſt, ſicut & ſingulares operationes in loco exemplorum. Sępenumero mancæ traduntur regulæ, quas inepti non attendentes, inuenerunt poſtea exceptiones penè innumeras, dicentes nullã regulam eſſe ſine exceptione. Sed illi aſſcripſerunt arti defectum ſui intellectus. Si res recto ponerent ordine, rectè conſiderarẽt, enunciarentque; non opus foret tantis exceptionum, notationum, obſeruationũ, & aliorum deliramentorum plauſtris. Ariſtoteles certè ita præcipere non ſolet. Demonſtrarẽ tibi ſingula quæ dixi ipſis Ariſtotelis verbis, niſi putarẽ tibi poſteriora analyſeos logicæ eſſe quam maximè cognita. Scripſi autem de iſta compendioseè perſpicueq; in præfatione operis cuiuſdam logici, in quo potiſſimum de ſcientiis per regulas Ariſtoteleas conſtituendis & iudicandis agitur. Si

meam

meam ſententiam non ſatis aſſequeris; inde pete. Quod ſi denuo philoſophum euoluere tibi placuerit; rogo legas ſine interprete. Longè felicius aſſequeris per ſe loquentem, quam ſcrupuloſiſſimis ineptiſſimisq; quorundam leptologematis obſcuratum. Videor mihi iam videre ingenium tuum, quam probè ſis artem exornaturus. Iam cogitas de ſubiecto artis chymicæ, quodnam id ſit ponendum. Ponis autem hoc quod vſus artificum notauit. Hoc diuidis in membra duo. Poſtea ſingula per genera decurris, definisque quam optimè. Inde contemplaris effecta adiunctaque propria & ſingula ponis ſuo loco generalia generali, ſpecialia ſpeciali, nihil ocioſè repetendo. Hic quaſi in intimo naturæ ſinu omnia apparent pulcerrimo & ordine & facie. Omnium cauſæ per ſe cognoſcuntur. Nihil facilius quam benè diuiſorū eſſentias definiēdo exprimere. Semper enim genus ſpeciem continet, & eius naturam monſtrat. Hæc in homogenia & generis habet eſſentiam, & præterea ſuam formā; vnde & definitio eſſentialis eſt ex genere & forma. Video item te conſectaria nectere ſcientiasq; educere pręclaras. Video operationes inſtituere neceſſarias, & vnāquamq; iudicandā ſpectandamq; ex principiis præmiſſis infallibilibus ꝓponere. Quātū vicerimus laboris, cū non amplius in tāto operationū falſarum

rum numero dubitabimus? Quanto afficietur humanum genus bono, cum illuſtri noticia adulterinum à genuino ſtatim redarguetur? Tyrones tibi omnia debebunt: Iam enim non amplius in vaſtiſſima errabunt ſolitudine, ſed ob tutum facili tanquã in ſynopſi omnia artis membra perſpicient, arripientque, quo quid in diſcendo eſt dexterius? Sed vale tandem & me tui amantem redama.

EPIST. XIIII. ἸΧΝΟΓΡΑΦΊΑ ΧΥΜΕΊΑΣ.

AD CELEBREM VIRVM ET PRÆſtantem D. Iohannem Poſthium Phil. Med. & Poetam, &c.

GRATA admodum iucundaq; mihi intercedit cum viro celebri & perito D. Ioachimo Camerario primario Noricorũ medico, venerabili ſene, amicitia & literaria conſuetudo. Ex eo nuper cognoui, quam honorificè, vir laudatiſſime, de meis aduerſus impoſturas Aſſyluani panacificis & cinabaripolæ laboribus ſentires. Non eſt æquum vt virorum præſtantium perita prouidaque nec ex vlla temeritate ἀλλ᾽ ἐπιστήμης profecta iudicia quiſquam cõtemnat ſanus. Accipio itaque illud tuum modeſtè, & rogo vt & in parte aliqua amicitiæ ponere me velis, quo pacto & ego tũ antehac ex ſplendore nominis tui te dilexi ſemperq; magnifeci,

ſeci, tum iam ex animi erga me inductione ſingulari tui, etiam amo, nec in poſtremis meis loco. Huius mei ſtudij, vt non verba ſaltem accipias, ſed & monumēto quodam cōſtituto, euidens ſempiternumq; teſtimonium; cum peropportune iam prę manibus haberem, & mente admodum ſolicita κατασκευὴν τῆς χυμείας meditarer, cōſultis ob hoc per epiſtolas viris mihi in Germania noſtra aliquo merito aut beneuolentia notis; te horum numero inſerere placuit, & æquo honore ad commune opus iudicandum inuitare. Hoc autem ſcias velim, me non vulgarem, & qualemcunque conſignationem pręceptorum cum fuſiſſimis, inconditis, & alienis interpretamentis, & artium conturbatione requirere; ſed eo modo adornatam ſcientiam, quem philoſophus in libris περὶ ἐπιστήμης copioſe perſequitur, & ſolerter. Huius ideam ſi tibi propoſuero, iudicandamq; commiſero, non puto me quicquam ab officio & amore inter nos gliſcente facturum alienum. Prædico autem tibi ne ſis in cenſura Catonianus Manlianúſve. Tener adhuc fœtus eſt. Molliter tractari quærit. Plagas Orbilij, Vallæ rigorem & exquiſitam Rami compoſitionem nondum tolerat. Dies docebit diem. Quin ergo iam fretus fauore tuo & ęquanimitate facio initiū? Chymian conciſis verbis, vtpote in arte quæ longas circumductiones odit, nomino con-

concretas ſubſtantias in materia ad purum elaborandi ſciētiam. Definitionem illuſtro notatione primum; quod, cum fundendo ſoluendoq; concretionem fiat; aut nobiliſſimo opere ſuccos rædicales, balſamaq́, eliciendo; inde quidem chemia, hinc chymia ars ſit appellata. Deinde finē artis declaro, quod quidem puritas cuiuſq; per ſe ſpectetur in omni opere, vnà cum illa vero etiam perfectio in virtute & nobilitate. Horum autem vſus eſt non in ornatu tantum, vt inde fiant ſplendida quædam vtenſilia; ſed &, imo potius in ſanitate conſeruanda, affectionibusq́ue & morbis propulſandis & omnino vita humana aliquanto poſſit duci commodius. Ratione ſcientiæ non parum in ea arte præſidij eſt ad deſiderium cognitionis myſteriorum naturæ explendum, & diuinam gloriam ampliandam. Sed ego hos fines generales in ſpeciali arte non appoſuerim, niſi interpretis officio. Chymian porro dixerim bimembrem eſſe: Quia enim in elaborando eius vis conſiſtit, & quidem non quouis modo, ſed arti conformiter, quod neſcio an poſſim verbo apto dicere; (obſcuri grammatici vocē ESSARE vſurpant, quaſi eius propria actio ſit eſſare, vnde illa Ars benè eſſandi) primum erit χυμυργία, qua voce ipſæ chymiæ operationes cōprehenduntur. Operationibus fiunt eſſentiæ chymicæ, ſi laxa vocabuli ſit vſurpatio, ita

ita vt in his artifex vbi abſoluerit, quieſcat, vſumq́; porro medico vel patrifamilias cõmendet. Secundum itaque membrum placétne tibi, vt χυμικάς appellem? Continet enim χυμουργήματα ſeu opera operando chymicè effecta. An rectius prima pars erit chymia operatrix; ſecunda operũ deſignatrix? Vtinã ingenia præſtantia in hoc certẽt. Quicunq; cõmodius vocabulũ inuenerit; ei poterit eſſe eo in loco ſua ſtatua honorifica. Continet quidẽ etiam ſecundũ membrũ operationes; ſed eas à primo acceptas mutuo, tanquã ex principio. Primũ enim mẽbrũ operationes omnes καθόλου explicat. Secundũ eas accõmodat ad ſpecies chymicas extruẽdas. Χυμουργασιῶν quædam ſunt ſimplices; quædam compoſitæ. Quam vellem me hic poſſe loqui ἰδίως? Simplices ſunt quæ vna fiunt operationis forma: compoſitę quę pluribus. Hæc ſi accipias vt pronunciantur, impingent in artis leges. Neq; enim per ſe dicuntur, nec catholice. Sed omnia intelligi chymice volo, quãquam nõ vbiuis addã determinationẽ, quod ſine tædio deficientibus propriis locutionibus non eueniret. Incepit currere rota. Quam vereor ne vrceus exeat inſtituta amphora? Procedendum erat diuidendo, definiendo & proprietates exponendo. Sed ſentio aquam hærere. Cum enim vitioſum ſit ita diuidere, vt aliquando concidant genera; hoc quomo-

quomodo ex inſtituto vitê, vix video. Nam quædam operationes fiunt ſimpliciter & compoſitè ſimul. An nôn attendendum eſt quid fieri poſſit, ſed quid ex vſu artificũ fiat bene? Ita certè. Itaque me excuſabunt facilè in vſu τῶν βελτίστων σχήματα. Dichotomias tacebo, & Delium natatorem expectabo. Simplices ἐργασίας voco expreſſionem, filtrationem, ſeu colaturam, aſſationem, ſolutionem, calcinationem & ſimiles. In compoſitis habeo deſtillationem, & huic conformes. Non tantum valeo ingenio vt ſine longa & attenta conſideratione effundam ordine omnia. Primitias iam deguſtaſſe ſatis ſit. Non autem nego quin alio diuiſionis principio conſtituto quis poſſit facilè decurrere ad ſpecies indiuiduas, quo pacto Dornæus in ſolutionem & coagulationem miſtaſque operationes partiri omnia conatus eſt. Sed mihi in oculis eſt ipſa natura formæ, quæ vt in aliis artibus, ita in chymicis operationibus per ſimplicitatem & miſturam videtur aptè poſſe repræſentari. Si mihi ex mea ſententia, & non potius ex vſu artificum liceret deducere artem; nominibus confictis facilè rem expedirem. Sed id nulli conceſſum eſt. Itaque non immerito Paracelſi veſania bonis viris eſt inuiſa. Sed quî placet tibi hæc διαγραφή: Chymia eſt extrahendi elementarium eſſentias exaltandique ſcientia. Hanc qui exercere bene velit,

lit, cum oportet gnarum eſſe σκευαστικῆς καὶ πυρονομικῆς. σκευασία continet χημίτειαν, & σκευασίαν in ſpecie, quam poſſis ὀργανικὴν appellare. πυρονομία materiæ ignis, & regiminis tradit noticiam. Hæc ſtatim à definitione ponentur ideo, quia vtrique artis parti ſunt communia. Sequetur diſtributio in membra. Chymia eſt partim ergaſtice, partim poëtice. (Liceat enim mihi in præſens ita vti vocabulis) In ergaſia cõmunia ſunt, electio materiæ, & temporis, eiuſque duplicis, initij nẽpe & durationis, item locus, repurgatio, & ſi quæ ſunt his ſimilia. Eadẽ etiam aut extrahit, aut exaltat, & non raro vtrumque ſimul ſpectat. Exaltatio fit graduando, multiplicando, digerendo in pelicano, quod circulare nominant, item tranſmutando: vt ita tota ratio huius ſit in alteratione, incremento & generatione. Extractio vtitur operationibus communibus. Omnis item elaboratio aut in vno moratur & ad vnum tendit, aut ex vno facit plura; altera tamen magis altera. Nam tam diues hæc ſcientia eſt, vt per varios modos poſſit præparari vnum idemq́ue, & illi modi ad multa ſint accommodati. Cæterum operatio chymica aut ſegregatio eſt, aut congregatio; & vtraque modo ſecundum homogenian modo heterogenian. Vtriq; etiam competit reductio. Segregatoria artificia heterogeneorum in vno commiſtorum

I ſunt

ſunt putrefactio, expreſſio, cui accedit colatura, ſublimatio, deſtillatio, calcinatio. Deſtillationi ancillatur cohoſatio, & congruit etiam deſcenſio. Sublimationi & deſtillationi cōpetit rectificatio,& volatilitas. Vtraq; etiā vno opere fit in circulatione, licet fine diuerſo. Segregatoria homogeneorū, ſolutione vocata cōtinentur, cui accedit ceratio, liquatio ſeu fuſio. Fit autē hìc amplior moles tranſitu ſicci in humidū aqueū. Itaque ei inſeruit & calcinatio & alia opera quædā. Notandum autem eſt nō raro κατάχρησιν interuēire, ſibiq; minus propriè interdum famulari labores, veluti fixatio fit aliquādo per ſublimationē, aliquando per circulationē, calcinationem & ſimilia. Ita ſublimatio non ſemper ſegregat: non raro etiā vnit, vt in cinabari, hydrargyro ſublimato, & ſimilibus. Congregantur heterogenea imbibitione, amalgamatione, fermentatione, digeſtione: Homogenea verò coagulatione. Hac ratione facilè videtur ars integra cōprehendi poſſe. Sed eget diuturniore cōſideratione. Nō enim ſemp ſuccurrūt aptiſſima, καὶ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. In altero mēbro vbi ſunt πράγματα, generalis admonitio eſt, chymica opera crebrò rectificādo debere ad cōuenientiſſimā formā virtutēq; adducta eſſe. Eſt & hoc notandū quod eędē res nomina mutent plus minus elaboratæ, aut reſpectu rationeq; variata. Caput mor-

tuum vocatur, quod reſiduũ ab extracta eſſentia eſt, nec quicquam habet virium aut perparum totius quod ante fuit, & in cuius extracto balſamo vita ſeu efficax virtus eſt repoſita. Menſtruum nominant medium extractionis aut putrefactionis liquorem. Tinctura nuncupatur chymica eſſentia tũc cum colorem integri potiſſimum habet. Quinta eſſentia dicitur, cũ aſtrale vt loquũtur factum eſt, ſeu ſummam nobilitatẽ, quę cadere in elementare poteſt, eſt adeptum. Sanguis à rubro colore aliquibus impoſitus eſt. Mercurius eſt, cum aquoſitatem refert; ſulphur quicquid pingue eſt. Fiũt item opera ex mutuis, vt ex ſalibus ſpiritus, &c. Cõponuntur inſuper, fiuntq; modo ex vna modò ex pluribus rebus. Hæc & ſimilia generatim annotaſſe ſufficit, quia non ſunt in vna ſpecie ſtabilia. Quæ verò ſubſtantia ſpeciatim differunt, ſunt olea, aquæ, calces, ſales, croci, flores, turbith, cryſtalli, vitra, ſucci extracti, elixiria. Magiſterium, primum ens, eſſentia & extractum pro eodem ſunt. Vix enim præterquam ratione differunt. Conſentit illis cliſſus. Spiritus aquis continentur. Balſamus congruit cum oleo. Quæ verò quibus ſint συζυγῆ, facile eſt videre. Sales & calces congeneres ſunt. Succi extracti poſſunt contrà diſtingui oleis & aquis: & horum genus opponi ſiccis. Non ignoro plura adduci rerũ chymicarum vo-

cabula, quibus videntur peculiaria expreſſa μηχανήματα. Sed reduci ad pauca poſſunt facilè, ſicut Dornæus ad tria redigit, aquam, ſcilicet oleum & ſales. Parachymici Paracelſitæ multa ſunt commenti friuola, vt Realgar, Xenechdon, aurum potabile, aurum vitæ, butyrum arſenici, axungiam ſolis, arcana, lac virginis, leonem viridem, rubeum, aquilam albam & ſimilia, quæ partim etiam antiquis fuerunt vſurpata; partim operum ſingularium ſunt tegumenta ad conciliandã admirationem; partim cõprehendunt plura vt arcana, quæ ſunt tinctura, quinta eſſentia, lapis, &c. de quibus ante monui, quod nõ ſint diſtinctarum ſpecierum nomina peculiaria. Ego te rogo, vt pro tua induſtria de eiuſmodi informatione, qualis rudimentum craſſa, vt aiunt, minerua propóſui, diligenter cogites, ſi fortè vel noſtratibus vel poſteris ad integritatem ſcientiæ adiumènto eſſe poſſis, aut ſaltem profeſſoribus academicis tractationis chymicæ compendium monſtrare. Tyronibus ea res erit gratiſſima, & ad celérem artis cognitionem maximè accommodata. Vale, & has primitias noſtri inter nos officij non aſpernare. Pridie Cal. Ianuar. anni 1595. Rotemb.

EPIST.

EPIST. XV. DE CINABARI, MINIO, CERVSSA, LAzurio factitio, plumbagine, lithargyro, ſcoriis & ſimilibus, an ſint operum chymicorum genera.

AD VIRVM CLARISS. D. IOHANnem Poſthium Phil. Med. & Poetam celebrem.

QVI merces chymicas in nundinis paſſim inuſitata quadam arcanorum ſpecie, & titulis hieroglyphicis ad ingenerandam populo præſtantię cuiuſdam & occultæ virtutis opinionem venandosque inde nummos, proponũt, Poſthi erudite, ſępius illudunt veris artificibus, atque imperitis perſuadent, eſſe quid ſublimius, ad quod nondum peruenerint illi, imo quo aſpirare nulli præter ſe liceat, aut vllo fato ſit conceſſum. Ita cum maxima vanitate, & aucupio fructuoſiſſimo viderunt regiones Germaniæ Aſſyluanum impoſtorem cinabarin paulo ſecius à vulgari præparatam, ſub titulo panaceæ proponentem, conuolantibus ære grauiſſimis emtoribus vndiquaque, nec tantum ementibus precio indicato, ſed & donaria conferentibus vt ſaltem emere potuerint. Pari artificio eſt qui angelicum paſſim diſtrahit puluerem modo citrinum, modo purpureum, modo hyali colore & violaceo, quem cœleſtem vocat, &

hoc ipſo neſcio quid diuinæ efficaciæ promittit, propterea quod ſcripſerint autores chymiæ, ita præparatum ingenioſe debere apparere. Minus tamen illi hoc præconium lucroſum eſt ac Aſſyluano. Nec deſunt alij. Noſti enim impudentiã huius farinę nebulonũ. Cum autẽ adulteria tã ſint fœcũda feliciaq; vt etiã artifices lateant interdũ; artis diſcipulus aut amator nõ immerito quęrere poteſt, ſitne tandẽ aliquis determinatus artis finis, & numero definitę ſpecies, an verò in infinitũ quæuis res ignibus chymicis excocta, intra eſſentiæ eius limites ſit recipiẽda. Facilis quidẽ, & expedita reſpõſio eſt per Socraticã ſententiam, oportere artificẽ in multa ſimul & pauca intentã habere aciem, quanquam Plato neget rectè philoſophari quenquã extra ideas ſempiternas. Atqui omne opus artis determinatũ eſt, nec quod fortuitũ eſt aut infinitũ, cõprehẽdi poteſt, nec ſciri. Quomodo ergo quæuis poterunt admitti? Et ne vageť cognitio, certis includitur præceptis p vſum & experientiã à ratione conſtitutis, quibus omniũ operũ forma exactè definitur, vt quod artificioſum, & quod ἄτεχνον iudicari poſſit. Exigẽda itaque ſunt circumforaneorum mercimonia ad regulas artis, indeque ſpectanda. Dicere verò chymiam incomprehenſam eſſe, & aliquid amplius habere quod ſummos effugerit artifices, nec dum in vſum venerit; ſo-

lum

lum autem innotuerit improbis ſtellionibus; inſaniæ proximum eſt. Quæcunq; cõſenſus artificum approbauit, id chymiæ legẽ habet. Quod repudiauit, aut non homogeneum agnouit, ſyncerumq́; & perpetuũ, id ne chymicũ quidem cenſendum eſt. Procedit autem chymia more aliarum artium à ſummo genere per intermedia deſinitq́ue in indiuiduis ſpeciebus & exemplis. Finita itaque præcepta habet. Sed horum tamen potentia infinitis numero competit ſingularibus. Hic opera danda eſt, vt quoduis ad ſuum reuocetur genus, quod cum aliquanto ſit peritioris iudicij, cauſa eſt cur tyrones hæſitent, & interdum non tantum confundant opera, ſed & artem imperfectionis accuſent. Ceruſſa certè, Lazurium factitium ex argento, & ſimilia genera chymica non ſunt, quæ poſſint æquo cum aliis ordine poni. Appellantur tincturæ, aut magiſteria, aut crocis accenſentur, aut calcibus. Itaque aut ſpecies penè vltimæ erunt, aut exemplaria ſeu ſpecies indiuiduæ. Sandyx ſeu minium, quid aliud eſt quàm colore alterata calx quædam metallica aut mineralis? Scoriæ non referuntur inter eſſentias, quanquã non ſint planè inutiles. De molybdena, lithargyro, cinabari, hydrargyro ſublimato & ſimilibus quæſtio difficilior eſt. Videntur enim hæc ideo inter eſſentias aliquo genere ſummo numeranda,

quia diſſimilem habent aliis naturam, vtpote ex compoſitione genita. Neq; tamen chymia excludenda fuerint, cum chymico artificio apparētur, veluti cinabaris & ſublimatum per ſublimationem; molybdena & lithargyros per deſcenſionem & ſegregationem, quin & tranſmutationem metallarem, quæ ſolis conuenit chymicis. Ego quidem ſtudui ſumma chymiæ genera in priore ad te epiſtola complecti omnia: at vereor ne me aſſecutum rem neges, & his quoque aliquid loci aſſignes. Elixiria genus compoſitarum eſſentiarum ſibi vendicant. Habent & extracta & magiſteria quid tale. Num ergo elixyribus accenſebimus? Vide an non claſſe magiſteriorum ſint cōprehendenda, eodemque explicanda titulo. Si mihi aſtipularentur eruditi; Magiſterij vocem ei aſſignarem generi quod continet duas ſpecies, alteram crocorum dictorum; alteram ſublimatorum eiuſmodi, qualis eſt cinabaris, &c. Lithargyros in recrementis eſt. In plumbi eſſentiam aut ceruſſam abit elaborando, aut etiam ſingularem liquorem ſuo reſpōdentem generi. Fit quidem tranſmutato plumbo. Sed non quæuis tranſmutatio eſt chymica. Noſti philoſophum φθορὰν tūc vocare potius cum ex meliore fit deterius. Nam ex categoria & affirmatione tranſitus tunc eſt in priuationem, qui eſt finis corruptionis. γένεσις verò eſt

cum

cum ex ignobili ſit nobilius. Iam autem φθορὰ chymicis ex accidente conuenit, γένεσις vero per ſe quemadmodum etiam omni arti, vt idem conteſtatur philoſophus. Nihil ergo euincit argumentum tranſmutationis. Ita cauſa propoſita paucis eſt. Tu iudex eris. Si me amas, me litem perdere non concedes. Solent iudicibus manus inaurari, argentove obduci vt ſecundum partem fauentem pronunciare ratio velit. Cape id à me quoque munus, auctarium nempe quæſtionis prioris. Cum enim dictum ſit omnem artem eſſentia ſua finitam eſſe; numero vero ſenſilium ſeu ſingularium exemplorumque infinitam, quæro non iniuria, differantne indiuidua ſecundum ſubſtantiam, an non. Audio quoſdam dicere non differre ſubſtantia, quia diſtent ſolo numero. Numerus autem adiunctum eſt. Riſi fallaciæ efficaciam, quæ etiam ſolertioribus impoſuit, vt id literis pro vero prodere non dubitarint. Ergone inquam ego & tu; mas & fœmina non ſeiuncti ſumus ſubſtantia, qa diſcernimur numero? Eſt Socratica fabula de homine olim geminato, poſtea vero in duo dimidia ſecto. Eſt & de amico, quod ſit alter idem ſententia. Diuinum oraculum pronunciat marem & fœminam matrimonio coniunctos eſſe non duas, ſed vnam carnem. Veritas naturalis autem his aduerſatur. Ego enim anima &

corpore proprio me gero, tu item propriis. Nec ſumus accidentia, ſed ſubſtãtiæ, vtpote ſeparabiles & ſeorſim exiſtentes. An illud philoſophorũ quorundã ſomniũ eſt, omnes animas indiuiduas eſſe animã vnam genericam non in ratione, ſed natura exiſtentem, adeo vt diuerſa fiat ſecundum ſubiecta & vires, ſicut calor ſolis in ligno, lapide, luto, aqua, &c. non ſecundum eſſentiam? Ego, quæ mea ſimplicitas eſt, puto ſubſtantiâ artis conuenire omnia indiuidua; cumque ſint numero infinita; negatum eſſe ſubſtantias ſingulares in arte locum habere; ſed ſaltem numero deſignatas abſque ordine ſubiugari generibus. At iſto modo negata non eſt exiſtentia indiuidualis in natura ſingulari. Itaque cum dicimur differre numero, non eſt numerus accidentarius intelligendus, ſed ſubſtantialis, ipſis indiuiduis non diſcluſis certis ſpeciebus, ſed vna comprehenſis, cui quodque ſuam ſingularem ſubſtantiam conferat, quâ ſit ipſa. Reuera autem tunc illa ſpecies genus eſt, quod non exiſtit extra ſingularia. Quid enim eſt indiuiduum aliud quam ſpecies vltima, quæ genus non poteſt fieri ob negatam vlteriorem in ſpecies diuiſionem? Itaque & ſingularia reuera inter ſe diſtant ſpecie, quod eſt Ariſtoteli numero differre. Sed à te expecto quæſtionis explicationem. Vale & ex voto viue.

EPIST.

EPIST. XVI. DE SCRVPVLIS QVIBVSDAM VERſanti in chymicorum lectione obuiis.

AD VIRVM ORNATISS. DOCTISSImumq; D. Hieronymum Reuſnerum Phil. & Med. Nordlinganum.

EGo verò, Reuſnere, vellem, me, quemadmodum adhortaris, poſſe tantum afferre lucis, & adiumenti chymiæ, vt deterſa carbonariorum fuligine, & explicatis hieroglyphicorum monumentorum perplexitatibus, ſyncera & aperta amatoribus ſuis appareret facie, & more aliarum artium ad vitæ laudatæ vſum inuentarum exercendarumque perſpicuam, minimeq; erroneam proponeret doctrinam. Ita enim futurum ſperem, vt, quæ hactenus propter obſcuritatem & erroribus obnoxia fuit plurimis, & multum nobilitatis ſuæ ſplendoriſque perdidit dignitatis ſuæ gloriam recuperet, & in ſcholis philoſophorum locum recipiat veterem. Sed vix in me tantum eſt ingenii, præſidiorumve. Neque enim ignoras abſque artis vſu non poſſe quenquam aut promittere, aut conferre quicquam præclari. At hic in me eſt exiguus. Artificũ vero ſententias aſſequi & rectè interpretari, quantæ ſit difficultatis nemo non intelligit. Regna penè exhauſta ſunt & perditi principatus, dum operationum fides ad preſcriptum magi-

magiſtrorum eſt explorata, & incerta artis certitudo inueſtigata. Quid ipſe ſperem, aut obtineam pauper? ſed ne puto quidem per ſumptus profuſos poſſe ad artis faſtigium perueniri. Satis ſunt ſumptus pauci cum ingenio, diligentia & circumſpectione, otioq; & animo tollerātiſſimo coniuncti. At & horum curta mihi ſuppellex eſt. Cogor vulpinam induere. Simulo aliquam artis peritiam, & eruditorum aſſector familias. Apud hos dum balbutio & hæſitante lingua ad diſſerendum de chymicis eos prouoco, paulatim inuolo in artis penetralia, donec tandem admiſſus igniculum illum cœleſtem velut prometheus alter deportem. Cognoui ex illorum ſermonibus, eum qui laborare ad præcepta artificum chymicorum velit, non oportere pecunias pluere, & immenſam vaſorum precioſorum & plærunque inutilium congerere farraginem, & in diem operari; ſed naturam intueri, huiusq; opera contemplantem de arte æſtimare. Vix enim ars eſt, quæ tam imitatur naturam quam chymia. φύσις ἀρχὴ τῆς χυμείας ἐστί. Naturæ poſtea conſideratio perpetuitate exemplorum & multo ſtudio ſolertiaque eſt confirmanda. Vbi hîc profectum eſt, doctrinæ, non ciniflonum vulgarium, & impoſtoriȩ plebeiorum chartæ, ſed artificum ſapientum, de quibus conſtat, quod laudabiliter in ea ſciētia ſint verſati,

ſati, ſunt cognoſcendæ, donec diſciplinæ phraſin arripuerimus, artisque conſuetudinem fuerimus aſſecuti. Multa item ſunt in opere, quæ nec ſcribi nec dici poſſunt. Oculis vſuque iſta erunt cognoſcenda. Aſſiſtendum peritis & omnia momenta notanda. Conſueuerunt etiam docti vti laconiſmo. Tædet enim ipſos πολυεπείας. Nihilominus tamen præteritum hic, alibi eſt explicatum. Conferenda itaque præcepta, & operationum congruentiæ. Solent plærunque titulis proponere artificii finem. Hoc cognito, quomodo ſit quam optimè ſecundum experientiam artis obtinendus, in multis patet ſimul. Si non patet; naturæ opus conſulendum, & dicta ſapientum. Hæc plærunque & ipſe ſum ſecutus, & vt ſequantur alii, ſoleo monere. In promiſſis amo modeſtiā, & candorem. Si experiundum quid eſt; in pauca re periculum iudico tollerabilius, donec de opere euadas certus. Iterandum enim opus eſt, quod prima tentatione periit. Non itaque ſemel profundendi ſumptus. Qui ſympathias & antipathias naturarum habet exploratas; illum puto non infeliciter in chymia verſari poſſe. Cognoui enim iſto præſidio etiā metallurgos excellere, quādoquidem in excoquendis metallis, tantum momenti habent additamēta non ad ſumptuum compendia duntaxat, ſed & facilitatem operis & lucrum

præſtan-

præſtantiamque, quantum vllibi. Inimica chymia eſt temeritati, oſcitantiæ, ſomnolentiæ, præcipitibus & ventoſis. Antequam ſingularia tententur, vniuerſalia notiſſima eſſe oportet. Temporum occaſiones, rerum delectus & ſimilia minimè oportet præterire. Multa ſcripſerunt veteres, quæ nos arguimus mendacii, ſed iniuſtè. Ideo non aſſequimur eorum labores, quia non ita attenti ad rem ſumus, & plæraque vix perfunctoriè inſpecta iudicamus. aut etiam adminiculis paribus nec materia ſumus inſtructi, aut non omnia ita adaptantur & pariter in opus veniunt. Vides Hieronyme, quam timidè aggreſſus ſim chymiam, & quam callidè ad eam aditum moliar. Si quid profecero, libenter id communicabo ſociis. Neq; enim par eſt bonorum ſtudioſum inuidentia infamem eſſe. Ego te rogo, vt ſi quid præcepti illuſtris habes, item in commune conferas. Opera enim tui ſimilium confluente, ars ad ſummum perfectionis aſpirabit. Paracelſitæ, de quibus ſcribis, quod me contumeliis inceſto ore lacerent, & maximo infortunio mactare conentur, perfectionem ſibi ſomniant arrogantq; ſolis: ſed nimis impudenter. Quid enim illis tribuendũ ſit, qui non cognitionẽ naturæ ſynceram, ſed inania verba; non animum ſcientia vera imbutũ, ſed aureorum montium perſuaſione veſana delibutum,

non

non modeſtiam legitimamque profeſſionem, ſed libidinem omnia perturbantem, & ex officij deſertione alienæ artis præmaturam illegitimamque inuaſionem adducunt? Quod in modeſta genuinaque philoſophia omni ſeculo fuerunt Sophiſtæ, id in chymica diſciplina ſunt Paracelſitę. Mirarer quoſdam in tanta veræ pietatis luce inueniri, qui ſibi à Paracelſo porco illo immundo & naturalis ſcientiæ deprauatore, nomen vel ſomnient, nedum arrogent cum ſupercilio, niſi notum eſſet, nihil tam turpe eſſe, tamque veſanum, vt non ſuos inueniat aſſeclas admiratoresq;. Legunt Paracelſi ſcripta quidem etiam noſtri, ſed ita vt Plinius olim etiam abiectiſſimos libellos. Si quid boni eſt, quod ille ex aliis tranſſcripſit, aut viſum annotauit, probant cætera contemnunt. Spero fore aliquando qui non veſaniam in præceptis catholicis, hæc enim ſuo ſe confutat luculenter flagitio: ſed operationum modos fraudulentos & pernicioſos, à quibus hactenus pependerunt etiam boni quidam, redarguat, & riſui exponat omnibus. Tu vt cepiſti fauere chymiæ caſtæ, ita perge feliciter, & ſtudia publica iuuare non omitte. Vale.

Lectio ſcriptorum Paracelſi.

EPIST.

EPIST. XVII. EXPERImentum explicationis hieroglyphicæ in tabula Smaragdina Hermetis.

AD VIRVM CLARISS. D. HIERONYmum Reuſnerum Phil. & Med. Nordlinganum.

COGITANTI mihi, Vir præclare, impẽſius ea quæ ad me de chymica veritate neglectis hieroglyphicis in aperto proponenda, ſcripſiſti maior ſubinde oritur difficultas, adeo vt viſus mihi ſis autor eſſe artis Lullianæ, aut numerorũ Platonicorum expediendorum. Eſt enim illud artificium obſcuriſſimis inuolutum perplexitatibus, quas qui enucleabit, ille artem explanabit docebitq́ue diſertè. Iſtud autem qui poſſim ſine alis ingenioq́; dædalęo, aut filis ariadnæis, Mercuriive caduceo, aut Alexandri gladio & Æneæ aureo Ramo, heſperidumq́ue pomis? Longe inexplicabilior error labyrintho eſt; longè pericoloſior via quam quà Phaëton, & Icarus inceſſit: multo tenebroſior præcepsq́ue magis auerni faucibus, & impeditior Gordiano nodo tela. Medeæ artibus ad aureum vellus perueniſſe Iaſon dicitur. Ego ne ſi copia quidem eſſet, vti eis velim. Ex hieroglyphicis vna eſt circuli quadratura. Hanc inexplicabilem iudicauit ſummus Philoſophorum Ariſtoteles. Tunc mihi

mihi excellentius ingenium tribuas? Quis monadẽ hieroglyphicam philoſophi Lonini declaret? Scribit Herodotus Apollinem Delphicum ambiguitate oraculi luſiſſe Crœſum, eumque tunc amiſſurum regnum dixiſſe cum Medorum rex Mulus foret. Hoc poſt acceptã calamitatẽ exprobrãti Crœſo explicuit Pythia. Oraculis Delphicis intricatiora ſunt chymicorum præcepta. Periculum præſens incurrerim non conſulta prius vate. Illa vero vix comparet vſpiam. Per cœlum volare vni contigit Dædalo. Reliquis is conatus attulit exitiũ. Mutato nomine de me fabula narratur, inquit poeta. Quam riſuri me eſſent & planè deuoraturi paracelſitæ, ſi à ſummo delapſus Icari in morem vitreo darem nomina Ponto? Atqui, inquies, petit ardua virtus cœli & negata tentat iter via. Audendum eſt: fortes fortuna adiuuat. Multis non licuit ad ſolis currum peruenire; at licuit Prometheo. Studendum eſt vt in raris exemplis nomen inueniatur tuum. Agnoſco Sirenum illecebras. Sed ero Vlyſſæus. Audiam te ſuauiſſima perſonantem; ſed vinctus, ne me trahas in abrupta. Experiar tuam ſententiam in ſmaragdina Hermetis, quæ exceptis patrum ante diluuium ſententiis, hieroglyphicarum eſt vetuſtiſſima, quandoquidem Hermes coætaneus dicitur fuiſſe Zoroaſtro: hic autem *Hermes.* *Zoroaſter.*

K eſt

eſt Chameſenuus ſeu Cham Noës filius; & Iſis vxor Chameſenui in columna teſtatur ſe eruditam ab Hermete ſeu Mercurio. Experiar autem interpretationem in tabula illa ideo, quia dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ; & cum antiquiſſimum quodque ſit veriſſimum; à veritate minus me âberraturum, atque ideo maius operæ precium facturum iudico, vbi rem acu tetigero. Adde quod de hac tabula Bernhardus affirmet, artificium in ea proprie & perſpicuè deſcriptum comprehendi, cum alias incredibile ſit ex parabolicis veterum libris rem aſſequi. Erit ergò in illa explicanda labor facilior. Non ignorò Paracelſum iactare apocalypſin Hermetis & Hortulanum pridem commentatum in tabulam illam fuiſſe: ſed hi ænigmata auxerunt ænigmatis, nec vlli inſeruierunt ſua explicatione, id quod non diſſimulat Hortulanus, cum dicit: O Lector chare ſi ſcis operationem lapidis, tibi dixi veritatem. Si neſcis, nihil tibi dixi. Ipſe quoque Paracelſus ſua occulta fore vaticinatus eſt vſque ad Eliam artiſtam ſeu calendas græcas. Eiuſdem verſutiæ eſt Bernhardus, Geber & fermè omnes alii. Nam & in Arnoldo & Thoma & Alano, qui maximè perſpicuè de iſto artificio ſcripſerunt, non deeſt obſcuritatum pelagus. Narrant aquilam pullis iam volatum meditantibus

bus præire, eosque ad volandum aptè ſicut Dædalus Icarum exemplo inuitare ſuo; Mihi aquilæ loco erit diuina clementia, cuius acumen in eiuſmodi abditis maximè eſt accerſendum & imitandum. Sed aggredior rem ipſam. Ita habet Smaragdus. Verum; ſine mendacio, certum, & veriſſimum. Proœmium hoc myſterii eſt, ne quis putaret ex obſcuritate & operis ἀτυχίᾳ poſt experimentum primum, mendacio ſibi illuſum, ſed ſeipſum, ſtuporem ſuum, imperitiam aut oſcitantiam accuſanda ſciret, ſi non reſpondiſſet ſcripto euentus. Sequitur res ipſa: Quod eſt inferius, eſt ſicut quod ſuperius: & quod ſuperius, eſt ſicut quod inferius ad perpetranda miracula rei vnius. Duo nominantur per loci ſuperioris & inferioris differentias, quæ cum non ſint ſeparabiles, neceſſe eſt vt in vno tertio deſignentur. Fingo id tertium eſſe aquam philoſophicam vitro, quod violam vocāt, contentam. Huius διαστήματα ſupra & infra notant res duas; vnam leuem & ex imo in ſublime eleuatam; alteram grauem quæ vt cinis in fundo reſtat. Vtriq; autem tribuitur vna eademque natura ſecundum ſubſtantiam & qualitates: & ex vtroque coniuncto dicitur procreari res vna mirabilis. Indicat philoſophus in aqua philoſophica ſolui corpora coniugata aurum ſcilicet & argentum, ſolui autem in elementa. Nam aquea

Tabula Smaragdina.

pars commiſcetur aquæ,& ab ea non ſeparatur. Ignea aëreaque eminet & in ſummo facie fuliginis apparet, nec aliud eſt quam verum auri ſulphur & quinta eſſentia. Terrea portio reſtat in fundó. Neque tamen hæc alterius naturæ eſt quam illa. Nam eadem eſt radix, idemq́; principium, quod in compoſitione vnioneque apparet, cum alterum altero tanquam familiari gaudet, ſicut & Democritus olim ſcripſit, & Calid repetiuit. Idem cernere eſt, etiam in quintis eſſentiis vegetalium, dum elementa ſeparantur. Omnia ſunt eiuſdem naturæ, ſaltem differentia leuitate ſubtilitateque grauitate & craſſitie. Itaque & illa celeriora ſunt magiſque penetrant, hæc tardiora. Poſtquam coniunguntur iterum, res mirabilis inde fit, quæ cæleſtium & elementarium virtutem obtinet. Itaque ex hoc diſcendum eſt, quænam ſit vera eſſentia chymicorum, nempe ea quæ depurata maximè eſt, & ex ſeparatis partibus ſeorſimque elaboratis in vnum coaluit denuo. Porrò de vi ſeminali iſtius miraculoſæ naturæ ex ſummis imiſque genitæ ita philoſophatur cum illuſtratione per comparatum ſimile: ſicut omnes res (inquit) fuerunt ab vno meditatione vnius: ita omnes res natæ fuerunt ab hac vna re adaptatione. Nondũ oblitus Hermes fuit patrum doctrinam de mundo condito. Itaque

que hinc tanquam noto principio ſuæ artis declarationem petit. Vnus ille meditator eſt naturæ conditor. Hic exemplaria mundi, vt habet Timæus, in ſe ipſo ponens meditatur facitque res omnes. Huic reſpondet Hermetica illa genitura. Præficitur ei vnus quidam nomine artificis. Hic res ſolutas coniungit iterum adaptatque & rem miraculoſam producit. Hanc porrò adaptando patienti materiæ; per naturam gignit quæuis. Natura enim eſt cauſa ſecunda per quam à creatione per adaptationem & diſpoſitionem conuenientem omnia producuntur prout ſeminale principium eſt. Itaque tam in mineralibus quam vegetalibus magiſter, vbi ſemen naturæ inſtinctu produxit, eodem vtitur ad generandum veluti ex tritico elicit ſemen; hoc adaptat terræ matri, iterumque adhibito naturæ regimine profert triticum, numero tamen auctum. In mineralibus ex auro naturam legit, qua aquæ philoſophicæ tanquam matri terræ inſita, conficit aurum, & ſic in reliquis. Non poteſt illa res vna accipi niſi καθόλου de principio ſeminali. Nam effectus ei tribuitur, quod ex illo omnes res natæ ſint; non meditatione ſicut in creatione factum eſt, ſed adaptatione, id eſt interuentu naturæ, ita vt magiſter ſuum ſemen ſuo coniungat patienti. Ex hoc intelligitur quod nihil poſſit chymicus ſine

natura; & quod cum hac poſſit omnia ſecũdaria; proprium autem eius officium nihil ſit aliud quam adaptare, iungere & concinnare, adhibitisq; adminiculis externis in opus vocare principium internum. Verumenimuero cũ illud ſuperius & inferius vnã rem miraculoſam conſtituerint, ex quibus parentibus materialibus tum ipſa tum res illa vna prodierunt? Pater eius eſt ſol, inquit Hermes, mater luna. Portauit illud ventus in ventre ſuo. Nutrix eius terræ eſt. Proponit nobis generationem naturalem, & ad vnum ſubſtantialem effectum duas cauſas procreantes mutuo amplexu vnitas deſcribit; vnam vero conſeruantem ſeu nutrientem augentemque. Signum hieroglyphicum generatoris eſt ſol, qui in terris eſt leo, aurum intra terram; in homine cor; in plantis vinum. Generatricis ſignum Luna eſt quæ argentum, &c. Ex his parentibus gignitur illa præclara ſoboles, quæ ſeminariam vim habet ad vnumquodque ſui generis. Intelligendum itaque eſt ad fœturam in plantis & animalibus requiri naturam ſolarem, quæ eſt calida ſicca addens terminum & miſtionem procurans: Deinde lunarem concurrere, quæ humida eſt & cum frigida ad illam cenſeatur. Corruptiuum tamen frigus non habet ſed generatiuum. De his duobus principiis diſſeruit Ariſtoteles in tertio de Gen. anim. c. vlt. vbi de calore

Pater ſol.
Mater luna.

lore viuifico per vniuerſum ſparſo, & principio in terra fœcundo ſermonem facit. Chymicus quoque in arte ſua eſſentias procreaturus non obliuiſcetur huius naturæ duplicis, & ex aqua igneoque terræ principio quod eſt ſulphur fœcundum illam conflare annitetur. Si percurrere agriculturam placeret, multis poſſem hæc declarare. Sed in re manifeſta verbis opus non eſt. Genita vero illa res mirabilis ex ſuperiore & inferiore, nutrienda eſt terra, quæ in ſe obtinet materiam quandam aptam ad conſeruationem tam animalium quam plantarum ſicut notū eſt. Chymicus ſobolem ſuam conſeruabit modo eodem. Sciendum autem nihil nutriri planè diſſimili; ſed quò vicinius ſeu cognatius nutrimētum eſt; eò melius. Hinc artifices ſtuduerunt omni impuritate abiecta eſſentiis ipſis nutrire ſubſtantias ſuas, ne naturæ negotium fiat in ſeparandis impuris. Itaque & in lapidis magiſterio terra ſumitur optimè repurgata, quę nihil eſt aliud quā lac virgineum, ſeu Mercurius philoſophorum. In modo nutritionis opera danda eſt ne eſuriat infans, aut copioſo lacte ſuffocetur. Eſt & diſcrimen in vetuſtate, & nouitate. Quod tenerius & recentius à partu eſt, parum lactis requirit, adeo vt quinquageſimam vix partem exigat. Ætate ingraueſcente, nutrimentum poſtulatur vberius. Dixit er-

go hactenus Hermes ex auro & argento gignendum eſſe lapidem ſeu naturam quandam, quæ educanda ſit cibo ex terra petito, ſeu philoſophorum Mercurio imbibenda. Ego vero tibi myſteriũ ex his reuelo. Cum dicit id quod ſuperius eſt, eſſe ſicut ꝙ inferius; non tantum ex coniunctis fieri poſſe illam rem miraculoſam innuit; ſed perinde eſſe vtrum ſumatur etiam ſeorſim. Nam & anima auri innatans Mercurio philoſophico efficax eſt, & id quod de natura eius in fundo ſubſtat. Itaq; & illud & hoc ſeparatim ad maturitatem per nutritionẽ perducere potes, idq; tentarunt philoſophi & aſſecuti ſunt. Si ſuperius ineſcatur; prolixus quidem & operoſus labor eſt; ſed fit inde longè validiſſimum elixin. Thomas abſterret ab hoc fratrem Reinaldum ob nimium tempus & vacationem. Vocat autem opus maius ſi inferius elabores; operæ pretium quidem eſt ſed minus, at minore cum tempore & negotio. Pauperes philoſophi qui finem illius expectare nõ potuerunt; hoc vſi ſunt artificio. Vocant præcipitationem. Quod præcipitatum eſt, hoc augent Mercurio philoſophico paulatim affuſo, & ſimul præcipitato. Vbi iuſta copia eſt; reducunt in Catillo, faciuntque aurum laudabile. Ego tibi dico quod, ex hoc quod fit, id ſit veriſſimum electrum, cuius vtraq; pars in igni & aqua forti eſt conſtans & inſeparabilis, & in

quo

quo Paracelſus ſummam ineſſe medicinam pronunciauit. Ne tibi deſit teſtis: VIDI. Puluis ille, qui vocatur ab Hermete inferius, ex cinereo cum quadam flauitie nigrius, & eſt ille cinis, de quo philoſophi dicat: & eſt ille cinis, de quo philoſophi dicunt, quod non ſit contemnendus, quanquam ex eo artificium magnum non fiat. Sed quid eſt quod inquit; Portauit illud vẽtus in ventre ſuo? Signum hieroglyphicum eſt. Ventus deſignat ſpiritum chymicum, in quo eſt calor & natura illa cœlo analogos, ſicut inquit Ariſtoteles. In minerali lapide eſt philoſophorum Mercurius ex auro argentoq́ue extractus, qui & aquila & ſpiritus ob volatilem naturam vocatur. In huius vẽtre inuiſibiliter antequam edatur, portatur infans. Mira res eſt, ita ab hydrargyro abſorberi aurum, vt nihil appareat præter aquam dẽſiuſculam, cui poſt putrefactionẽ inſiſtit nigredo fuliginoſa, vt ita quod in occultò eſt fiat manifeſtum, & manifeſtum occultetur. Hoc eſt pelagus de ſathalia, in cuius medio mons conſpicitur, ſeu venter infante prægnans. Non me fugit alios ventũ explicare aliter; ſed iſta ſententia eſt mea, quę congruit cum naturali generatione animalium & plantarum; quæq́; in opere chymico item eſt attendenda. Spiritus enim vini ſeu quinta natura eſt illa ſoboles genita ex vino ipſo, in quo eſt natura triplex, tartarea ſcilicet, aquea & vinoſa. In aquea portatur

Ventus.

Pelagus de ſathalia.

eſſentia tãquam in ventre. Terra imũ obſidet, ſed nõ minus nobiles ſpiritus poſſidẽs, qui ſi vniantur priori eſſentiæ, valde efficax cõſtituunt medicamentũ, ſicut & ante dixi. Quod ſi nutriatur vtraq; hæc pars cõiuncta ſui ſimili ſubſtantia; amplificatur copiosè. Illa autẽ nutritio diſtat in vnoquoq; genere ſeruata tamen analogia. Si ſpiritum vini velit augere chymicus ſeruata nobilitate; elaboratiſſimam eius eſſentiam vaſi Hermetis ſeu pelicano includet. Huic poſt debitã circulationem affundet ſubſtantiam cõgenerem, & circulo ferri item ſinet. Ita nutrietur prius, & hoc cedet in ſubſtantiam eius eandemque ſortietur nobilitatem. Poteris augere ita quouſque libuerit. Interim autem ad vſum certam partem promere. Ex hac explicatione longè excellentiora principia, longeq; aliam elaborationem rerum chymicarum colliges, quam ex vllo Paracelſico ſcripto. His enim autoribus omnia naſcuntur in lingua; omnia peragũtur perfunctoriè abſque certis artis principiis. Hermes & veras cõficere eſſentias ex vnione docet, & vera augmenta virtutis mõſtrat. Pergit autẽ in ſmaragdo ſua: Pater omnis thelesmi totius mũdi eſt hic. Vis eius integra eſt. Quicquid perfectionis (inquit) ſortitus eſt mundus, id ad exẽplum magiſterij huius eſt cõfectum. Omnino enim ex virtute duarum ſubſtãtiarum generatiuum principiũ obtinentium

Perfectio.

nentium

nentium omnia fiunt ſecundum naturam. Omnia item nutriuntur eodem modo, & antequam procreentur ſpiritu fouentur eius veluti ventre clauſa, quo pacto olim ſpiritus Domini aquis incubuit terra intra aquam occultata, ex qua poſtea naturæ extiterunt variæ. Quod additur de vi integra, ancipitem habet intellectum ob diſtinctionis ambiguitatem. Nam hortulanus puncti notam hic remouet, & verba hæc; vis eius integra eſt, coniungit ſequentibus; ſi verſa fuerit in terram. Reuera autem poſtquã infans ita genitus eſt, & educatus in ſe quidem perfectus eſt; ſed ſeminalis virtutis actum, quo gignere poſſit, nõdum eſt ſortitus. Itaq; vtraq; lectio non eſt improbanda. In vegetalibus eſſentia ſummas in ſe habet vires induſtriè enutrita. In mineralibus reſtat multiplicationis ampliſſimæ munus. Vt hoc quoque conferatur per naturam ingenio artificis gubernatam additur. Si verſa fuerit in terram. Nam creatus lapis reſoluendus denuo in Mercurium eſt. Hoc vbi factum eſt, emergunt duæ ſubſtantiæ; vna ignea, altera aquea (terra enim hic matrix eſt & Mercurius philoſophorum) vna ſubtilis, altera ſpiſſa. De his dicit Hermes, quod ſeparanda ſint leniter cum magno ingenio, ſeu cautè circumſpecteq; nec ſine induſtria ſingulari. Et nota quod hic caput mortuum ſeu cinis relinquatur nullus. Omnia enim

ſunt

ſunt pura eſſentia ſaltem in virtute exaltanda. Quod autem ſit ſeparationis ingenium; natura rerum in opere indicat, nec vna eſt apud omnes ratio. Ne putes deſtillatione aut ſublimatione aliáve vulgari operatione inſtitui ſeparationem. Coruus eſt decollandus, & nigredine ſua priuandus. Hoc modo abſoluta ſecũda operatio eſt. Sequitur tertia: Aſcendit à terra in cœlum iterumq; deſcendit in terram; & recipit vim ſuperiorũ & inferiorum. Duo his indicantur verbis. Primum eſt cauſa virtutis in eſſentia chymica, quaſi dicat, ideo tam precioſa res eſt & efficax, quia circulo acta in ſublime eſt iterumque depulſa ad imum, volatilis & fixa facta, vt ita ad omnem vſum ſit accommodatiſſima. Deinde innuitur operis tertiatio, quod vbi in aquam rediit, ſit coagulanda iterum, iterumq́ue eodem curſu ad carceres reuocanda, quod vbi factum eſt; addit Hermes; ſic habes gloriã totius mundi. Ideo fugiet à te omnis obſcuritas. Fructus laboris chymici hic eſt, tantum ſcilicet gloriæ diuinæ ex arte haurire, quantum in omni re mundana ſecundum naturam eſt. Re vera enim chymicus miracula operum diuinorum in ſua arte maximè ſyncerè contemplatur. Itaque & hinc Deo oritur laus plena, ſi quam ex creaturæ noticia Deo debemus, quam debere nos vndiquaq; Diuus admonet Paulus. Sed & ipſi artifici non parum

Coruus.

Gloria.

rum

rum eſt inde emolumenti. Obſcuritas enim ab eo fugitura dicitur, hoc eſt, artifex ipſe euaſurus ingenio alacer, & peritus, ita vt ignorantię caligine non amplius ſit circumdatus, quod eſt reuera in naturalibus ex ſpecu Platonico emergere & in clara ſolis verorumque luce poni. Hunc fructum autem reportare ſedulum inueſtigatorem ipſa arguit experientia. Longè enim alij oculi & iudicium eſt artificis quam imperiti hominis. Vnde cum Democritus non externum rerum vultum cõtemplaretur, ſed naturam internam perinde vt ex chymia didicerat; ridet humana facta & pro ſtolidis habet. Hæc eſt illa ingenij & ſapientiæ lux quam lucratur ſpagirus verus. Sed & externus ſplendor famaque nominis non deeſt, ſi ad vſum conferat benè, quæ ſpeculatus eſt ſapienter, quanquam hic honor non ſit perpetuus. Sed pergit Hermes: Hic eſt totius fortitudinis fortitudo fortis; quia vincet omnem rem ſubtilem, omnemque craſſam penetrabit. Non putandus eſt de lapide minerali ſolummodo diſſerere. Quomodo enim vir ſapientiſſimus tam generaliter dixiſſet? De termino virtutis omnium chymicarum eſſentiarum concionator, quod ſcilicet artifex ad ſummam præſtãtiam, nobilitatem & efficaciam perducat opera chymica, adeo vt nihil in natura poſſit eſſe ſubtilius; nec quicquam tam craſſum quin penetret; *Fortitudo.*

netret; vnumquodque tamen in ſuo genere. Qui ergo ſpiritum vini ſummè prout ars præcipit, vult elaborare, is debet eò excellentiæ ipſum perducere, vt in eo genere nihil ſit præſtantius. Quod ſi ſolidis craſſiſq; adhibeatur; penetrare ea promtò debet, ſicut notum eſt etiam de oleo iuniperino. Ita lapis philoſophorũ in mineralium metallicorum genere nihil habet ſublimius. Vincit hydrargyrum eumque in ſolidum corpus mutat; & reliqua metalla penetrat & nobilitat ita, vt in optimum transformet. Cogita iam an Paracelſitarum opera eò perfectionis peruenerint. Moneo tamen ab Hermete hic ſaltem eſſentiæ perfectionem indicari; non autem de vſu præcipi. Vſum medicum ſi ſpectes, aliud erit iudicium. Non enim morbi omnes & affectiones tam ſubtili medicina curari poſſunt. Imo in aliquibus nihil foret pernicioſius. Deteſtandus ergo Paracelſitarum error eſt, qui in medicinam temerè irrumpẽtes, eſſentias ſuas nudas cuiuis exhibent, & ſubtilitatis nomine extollunt, cũ hoc ipſum non vſum medicum commẽdet, ſed ſaltem perfectionem in præparatione. Ita lapis vbi ſummè abſolutus eſt, ad vſum ineptus eſt in illa ſua perfectione. Non enim poteſt vniri, cũ metallis impuris ob diſſenſum & nimiã ſubtilitatẽ. Itaq, fermentatur prius, & calce propria ſaginatur, & nihilominus quæuis

Paracelſitæ furioſi medici.

eius

eius particulâ millecuplas ſuperat. Quod ſi in tinctura metallorũ inutilis eſt ſubtiliſſima eſſentia quid in morbis habebit cõmodi, vbi tã penetrans virtus planè eſt indiſpoſita? Sequitur in tabula. Ita mũdus eſt creatus. Illuſtrat triplicẽ ſuam operationẽ in natura exemplo cõditi mundi. Omnia habuerũt initio aquæ vultum. Ita chymica omnia cõſiſtunt in aquea natura ſeu actu ſeu potẽtia. Et ſicut ſpiritus viuificus fœcundusque omnia penetrauit & fœcunda effecit, nobilitauitq; ; ita in opere vſuq; euenit chymico. Addit plura de vſu. Hinc (ait) erunt adaptationes mirabiles, quarũ mundus hic eſt. Vult artificẽ miraculoſa opera efficere poſſe per eſſentias ad id excellentiæ perductas, & adaptatas, quæ vox notanda benè eſt. Signat enim nõ fortuitam accõmodationem agentis ad patiens, ſed induſtriam aptamq;. Itaq; & veteres magi ob hunc ipſum vſum maxima in admiratione ſapientiæ fuerunt. Scribit in epiſtola Zvingerus quantum fuerit delectatus mirabilibus rerum chymicarum affectionibus, adeo vt ex Platonicis ideis & logis tantum voluptatis nunquam poſſit ſuppetere. Hoc non Zvingero tantum vſuuenit, ſed commune eſt cum omni chymico vero. Quantum enim deliciarum eſt cum oculis ipſis cõtueris mirabiles ſympathias? Quod nullo igni vinci poteſt, vili cedit aquæ & ab ea in fuliginem

ſolui-

ſoluitur. Quas natura gemmas occultè fabricat, eas chymicus imitatur ad viuum; vitra ductilia malleoque extenſilia ex metallis depuratis conficit; metalla tranſmutat, & quæ mirifica non operatur quaſi in ſua poteſtate totam haberet naturam? Conſidera antimonij cum lixiuio tartari; ſpiritus tartari cum auro & aliis congrüentiam, & ſic in reliquis, mira cognoſces. Itaque non immerito Hermes dicit eiuſmodi miraculorum modum & ſummam & veluti mundum totum eſſe in iſto ſuo arcano, quo pacto dicunt Venetias compendiũ orbis habitabilis eſſe. Vtinam verò ille ter maximus Chami filius, non tãtum generaliter ita præcepiſſet, ſed & ſpecialiter artem elaboraſſet integram, modo ab inuidis & portentis humani generis ſalua manſiſſet, felices foremus. Quid ſi etiam edidiſſet ſingularia, eaque iniuria temporum intercidiſſent? Sed addo reliqua. Itaq; (concludit philoſophus) vocatus ſum Hermes trismegiſtus habẽns tres partes philoſophiæ totius mũdi. Completum eſt, quod dixi de operatione ſolis. Hactenus ille. Non tantum in naturalium anatomia eiuſmodi miraculoſam ſcientiam eſſe innuit, ſed & in diuina contemplatione & vita hominum gubernanda. Itaq; vndequaq; gloria Dei & maximarum vtilitatum pondera ſunt præſto, quæ cum ipſe ſit aſſecutus & in maxima omniũ ſuæ ætatis fuerit admi-

Vitra malleo extẽſilia.

Hermes trismegiſtus.

admiratione, ter maximum ſe appellatum tradit. Hortulanus putat alludi ad lapidem triplicem, mineralem, vegetalem & animalem, in quorum noticia ſibi principatum vendicarit Hermes. Sed parum conſentanea vero mihi videtur dicere. Cum potuerit mirabiliter adaptare iſtud ſuum opus, & inde theologica principia explicare; politica illuſtrare, naturamq́; totam demōſtrare, inde ſibi natum nomen aſſerit. Ne autem confudiſſe omnia videatur, in calce oſtendit ſermonem ſibi factum eſſe de auri elaboratione, ſeu artificio lapidis mineralis principaliter, cuius tamen ratio ad totam chymiæ artem eſt accommodanda. Nam hoc arcanum eſt reliquorum exemplum. Adhuc expoſitio hieroglyphiæ vetuſtiſſimæ. Qui tibi iam, Hieronyme, videor? an nō pulchrè me ridebunt parachymici? Ego verò in angulo latitans expectabo donec attulerint certiora. Si nihil inuenturi ſunt, promturiq́;, quid me decebit, videro. Explicui autem tibi puriſſimam veritatem, nec potui verbis clarioribus loqui. Si me non aſſequeris; differenda res erit ad μεταχείρισιν ſpagiricam. Vſus te docebit conuinceteq́ue veri.

Vale.

EPIST. XVIII. DE OBSCVRA CHYMICORVM locutione.

AD HIERONYMVM REVSNERUM Phil. & Med. Nord.

QVI in chymicorum commentarios incidunt imperiti, nec dum aſſueti terminis diſciplinæ, videtur mihi legenti condimenta Plautini coqui ſimiliter affici poſſe. Sicut enim hic repudiatis vulgaribus cõdituris, coriãdro, allio, fœniculo, olere atro, rumice, ſinapi & reliquis, quas ſtriges viuas nominat, ſua illa rara & mirifica effert, & inuſitata nominũ barbarie cõmendat cicilendrum, polindrum, macidẽ, capſidem, cicimandrum, happalopſidem, cataractriamque, quæ ipſi ſunt eſcæ diuinæ abſq; igni in patinis ſponte feruẽtes, vnde ſurgens odor Ioui veniat in cœnã; & quibus qui veſcatur, viuat vel ducenos annos: ita & chymici cũ maximis elogiis promiſſisq; pluſquam diuinis occinunt perplexitates ſuas & barbariã Leonem rubeum, viridemque cohoph, Alcool, vinũ alcoliſatum, menſtruũ, lunariã, caput corui, veſpertilionẽ, ſputũ lunæ, vſifur, Rebim, Etheliã, Kuhul, Kibric, Corſuffle, & quid mõſtri non? Quemadmodũ etiam coquus Plautinus policetur ex virtute ſuorum condimentorũ ætatem grãdem, & odorem mirificè extollit: ita chymici e-

ſu-

ſuis eſſentiis promittunt omnia, tribuuntq; ſecundum Lullium & Vlſtadium quintę vini naturæ tantum odorem quantus credi non poteſt, qui ſe eleuans in ſublime eſt illa aquila Iouis Ganymedis ſtructoris epularum cœleſtium raptu nobilis; aut aureus imber in quem mutatus Iupiter iuit rediitque in ſinum Danaës. His auditis non mirum ſit, ſi cum Ballione exclamet tyro; at te Iupiter diique omnes perdant cum condimentis tuis. Sed, mi Hieronyme, nos oportet aliquo modo cum chymicis ſtare, & lenonibus non permittere ſingula. Si enim ars ideo vituperanda eſſet, quia non omnes voces ſapiunt eloquentiam Ciceronianam; etiam medicina noſtra vim pateretur, in qua item audias mirificos ſonos macidis, capſici, malicorij, Zurumbet, Taborzet, Alcol, Albali, Terenìabim, & eiuſmodi plurima. Quemadmodum autem Tullius ex Græcia ampliauit linguam patriam, idque licere Horatius atteſtatur; ita nos non ægrè feramus, ſed conceſſum putemus ex Arabia, Ægypto, Chaldæa & aliis locupletari theſaurum ſcientiæ noſtræ. Non eſt veritus Plautus etiam in theatro Romano Punica perſonare verba, & Græcis ſentētiolis, voculisq; latinitatē aſpergere. Quid nos hęſitemus? In conſuetū res abiit. Mutatio nō vacat periculo nouitatis obſcuræ. Et hanc vnam exiſtumo cauſam

Odor incredibilis.

Barbara voces vſu mollita.

eſſe ſermonis occultioris. Interpretes enim nō habentes Latina verba, quibus Arabica aut Græca cōmodè exprimerent, hæc retinuerunt, quæ vſu & terminatione Latina mollienda ſunt, ſicut Ciceroni ſpecies & ſimilia ad imitationem Græcorum efficta. Alia cauſa eſt ἱερογλυφία, ſeu tropica ex ſimilitudine enunciatio, quo pacto non verba tantum, ſed & ſententiæ depingi ſolent, vt feſtinandum lentè eſſe monemur anchoræ implicato delphine; & ſic de cæteris de quibus editi ſunt varij emblematum libri. Hanc rationem voluit ſequi Paracelſus à veteribus accepta manuductione, ſed nimium ineptiuit. Commentus erat Lullius quintam vini eſſentiam ſummè depuratam nobilitatamque. Eam vocârat cœlum. Huic debebatur duplex aſtrorum genus, erroneum nempe & ſtabile. Hoc ex animalibus, vegetalibus & mineralibus per chymian præparatis ſumtum eſt. Itaque aſtra nuncupata ſunt, quæcunque à terrea impuraque concretione liberata in ordinem eſſentiarum tranſeunt, & cœlo affiguntur: Planetæ verò potiſſimum eæ eſſentiæ quæ vires obtinent maximas, ſicut penè totius mundi gubernatio erronibus cœleſtibus accepta fertur. Vires æſtimatæ ſunt auxilio humanæ naturæ, in qua ſeptem principalia apparent membra, quibus quæ in mineralibus & reliquis eſ-

ſent

ſent familiaria ; ea Planetis ſunt addicta. Sed & vniuerſus homo cum paſſionibus ſuis accommodatus eſt ad mundum magnum , ſicut olim aſtrologi mundum ſuperiorem ad animalium adhibuerunt conditionem fingentes in cœlo varia animalia , parteſque dextras & ſiniſtras , cor & quædam alia. Quod in homine cœloque factitatum eſt ; id & in cœlo & vegetabilibus. Hinc tranſitum eſt ad mineralia , vt ita omnis cœli virtus in ima diffuſa repræſentaretur ſuis rebus. Animaduerſum autem eſt, quæ quibus ſtellis eſſent familiariora ex paſſionibus & effectis. Hinc itaque Sol præfectus eſt cordi animalium. *Sol.* Cor vinum recreat & aurum. Plato cordi item tribuit partem leoninam & calorem. Cum itaque & ſol in leone cœleſti dicatur habere domicilium ; hieroglyphice in vno deſignantur omnia ; & quicquid cordiale eſt, id ſolinum , & leoninum. Potiſſimum tamen in auro vox hæſit. Sed Paracelſus etiam porrò ſibi audaciam ſumens ad plura extendit , idque penè ſine diſcrimine. Leo viridis illi eſt vitriolum , ſeu ſpiritus eius rectificatus. Nam ruber vocatur Sanguis lacertæ. Leo rubeus materia tincturę eſt, quę arte pyronomica ex tribus coagulat in vnũ , hoc eſt lapis factus ex eſſentia auri , argenti & hydrargyri philoſophici. Pergendum ita eſt in aſtris reliquis. Luna debetur cere- *Ruber Leo.* *Luna*

bro. Quicquid huic conuenit; id lunare eſt, vt argentum, cuius liquor etiam lunaria nominatur Lullio, quanquam ea ſit herba. Nominatur & ſputum lunæ, quod mihi videtur eſſe argentum viuum ex lapide factũ, cui acceſſit fermentum lunare. Non ignota tibi eſt accommodatio reliquorum Planetarum. In Mercurio quid peculiare eſt. Nam præfectus nõ tantum hydrargyro eſt, ſed omni humori aqueo ex rebus elicito, ita vt ſit tertium principium chymicum, quãquam veteres Lunæ crediderint aquarum dominium. Inter cætera aſtra potiſſimum aquila ſpectabilis eſt, vocaturq́; in chymicis tum argentum viuum philoſophicum, tum ſal ammoniacus præparatus. Paracelſus vtitur etiã Oriente cœli, & meridie. Alij Cardinibus, Horizonte & aliis. Commutantur autem etiam inter ſe ipſa elementaria. Hinc in homine dicitur eſſe quicquid eſt in mũdo externo, ſal, ſulphur, Mercurius, vitriolum Tartarum, & reliqua, vnde Paracelſus omnem ſanitatis & morborum rationem explicauit. Audiui qui aſſereret nihil apud hunc autorem ſuo nomine dictum extare, ſed omnia deſignare quiddam minerale, quod tamen mihi non ſit veriſimile, quanquam mirificè confundat omnia, & herbarum nomenclationes improbè permutet. Veteres philoſophi in ſua arte habẽt roſas albas & rubeas in horto chymico, per quas

Lunaria.

Sputum Lunæ.

Mercurius.

In homine omnia.

quas intelligunt lapidem duplicem, vnũ ad aurum faciendum, qui auro eſt fermentatus; alterum ad argẽtum cuius fermentum argentum. De lunaria ante dixi. Animalia quoq; aliqua ad minerale artificiũ ſunt accerſita, veluti veſpertilio & coruus, per quę deſignatur nigredo, quę Mercurio philoſophico innatat: itẽ ſerpens qui deuorat ſuam caudam, qui eſt ſiccus puluis imbibens proprĩũ humorẽ antea deſtillatione inde prolectum. Et hic titulus hieroglyphicus etiã alijs operibus tribuitur, in quibus paulatim irrorando ſicca pars cogit' abſumere humidã, & coagulare. Eſt & cauda pauonis tunc vocata cũ elixin fermentatũ in coagulatione innumeros edit colores intra vitrũ, ſicut ego aliquãdo vidi in pręcipitatione hydrargyri, & auri. Nam hydrargyrus, imò & cinabaris & ſtibium in omnes penè ſe vertunt colores, vnde & metalla & eorum ſpiritus tum variè tingũtur. Aliqui vtuntur & colũbino collo propter emphaſin colorum; alij iride. Sunt & aues Hermetis ipſi ſpiritus mercuriales. De leone ſupra monui. Lacerta viridis vitriolũ eſt; Rubea, colcothor vel aqua huius quæ vocatur ſanguis. Eſt & rubeta & ſalamandra fixa eſſentia quæ in igni conſtans eſt. Et vocatur tunc lapis Salamandra cum non amplius eſt volatilis ſed indomitus ignem reſpuit. Mitto animalia. Numeros etiam accerſiuerunt, imitati

Coruus. *Serpens.* *Pauonis cauda.* *Aues Hermetis.* *Lacerta.* *Salamandra.* *Numeri.*

Pythagoricos, ſicut Geometricas figuras more Platonicorum. Itaq; audiũtur in chymia vnio, ternarius, quaternarius, millenarius, denarius, binarius, triãgulus, circulus, quadratura & reliqua, quibus potiſſimũ eſt vſus Londinas. Numeris non cõtenti, tranſierunt ad res ſacras, & quicquid ibi ſimile eſt vel dicitur congruenter; id ad chymica artificia eſt accommodatum. Hinc monachi & Londinas non ſine pollutione diuinorum oraculorum, Chriſti Saluatoris paſſione lapidis apparatum explicant. Alij quicquid eſt arcanorum in Geneſi, cantico Salomonis, Ieremia, Ezechiele, &c. eodem inquinant crimine. Non parſum magiæ eſt. Hæc cruces variasq; literas & ductus cõtulit; hæc Horizontes temporalẽ, ęternitatis, Enſoph literã Pythagoræ & neſcio quæ alia ex multis ſcientiis corrupta maleq; adhibita. Sunt autẽ hæ duæ cauſæ ſatis probabiles. Nam omnibus temporibus inopiæ linguæ vnius ſuccurſum eſt copia aliarum, & licuit metaphoris vti diſciplinæ proprietatũ cauſa, ſicut videre eſt in omni arte mechanica. Sed licẽtia nimia in vitiũ abiit. Ita enim deprauata plurimũ eſt chymia & in obſcuriſſimas cõiecta tenebras. Satis erat metaphorico vno vnũ deſignare; modo deſignatio in vſum veniret, & perpetua eſſet. At tãtum ſibi indulſit libertas fingendi, vt omnia omnibus comparata mille nomina adderent rei

rei vni. Itaque in nugas & perplexitates penè demerſa eſt chymia, hacque anſa extiterũt temerariis paracelſicis latebræ ſuæ. Non poſſum omittere cauſam hanc tertiã, nempe temerariam immutandi libidinem, dum quiuis, vt ſuum celaret inuentum, quo monſtroſius excogitauit nomen, eò plus ſibi placuit: Idemque obſeruatum non tantum in vocibus ipſis eſt, ſed & in vocum characteribus ſeu ſignis, quæ peculiaria habet paracelſus; alii alia. Viſus eſt Dornæus & Thurneiſerus aliquid lucis voluiſſe ad ſcripta paracelſica afferre conſcriptis Dictionariis chymicis. Si cui placet in illius hominis libellis verſari (verſandum autem eſt doctis ob veritatis explicationem vt vulgati errores Paracelſitarum refutentur) is poterit opera lexicographorum dictorum vti. Ediderunt aliqui etiam chiromanticas declarationes, & artem ſignatam autore paracelſo conſcripſerunt. Hic quod capiti ſimile eſt, caput animalis nominatur, cuius eſſentia dicitur ei conferre peculiariter vt nux moſchata, papauer, iuglans, &c. Ita de reliquis. Ioannem Baptiſtam portam perſecutum eiuſmodi nugas non ignoras. A ſimplicibus inter ſe commiſtis nomen traxerunt etiam compoſita. Menſtruum vocatur liquor, per quem ex re integra extrahitur eſſentia ſeu aſtrum, propterea quod maceratio duret menſem philoſophicum

Signatura rerum.

Menſtruũ.

Menſis philoſophicus.

determinatum nõ triginta aut quadraginta diebus, ſed tanto tempore quanto integra virtus ſeponitur. Vocatur & vini Alcool, eſ- Alcool. ſentia eius, ſeu exaſperata aqua ardens. Hæc duo nomina in vnũ coeunt, diciturq; menſtruum alcoliſatum; illud ex officio; hoc ex materia, quæ per feculas vini eſt penetrantior reddita; & alcoli nominata ob calcem tartari diſſolutam. Eſt autem alcool puluis ſubtiliſſimus, quem chymici nominant impalbabilem. Ita menſtruum Terebinthinatũ eſt aqua terebinthi ceu oleum: cinamomiſatum aqua Cinamomi, Meliſſatum aq. ardens infuſionis meliſſæ, aut aquæ huius. Hæc qui attẽderit in chymicorum ſcriptis; facile aſſequetur ſententiam. Quod ſi temeritas ſtolida in vocibus aut phraſi deprehenſa fuerit; iuſſerim rem cõtemptam abiicere. Quis enim veſanias cuiusq; euoluerit? Si ars ſit conſcribenda; elegerim probatiſſima quæq; & veteribus primũ vſurpata, diuturnoq; vſu emolita. Nõ ita temerariũ fuit antiquorũ iudicium. Nõ quæuis cuiuis impoſuerũt nomina, ſed ipſis vocib. plærunq; artis arcanũ quoddam complexi ſunt. Itaq; in illis explicandis, & porrò vſurpandis eſt operepretium. Stoliditates Paracelſitarum, & nimiam licentiam ad coruos ablegarim. Hæc tecum volui de chymicorum obſcuritate colloqui. Amabo te amplius, ſi quæ nõ ſum aſſecutus ex te didicero. Vale.

EPIST.

EPIST. XIX. DE NVMEris quibuſdam in chymia vſitatis.

AD VIRVM ORNATISS. D. M. Georgium Limnæum Matheſeos & aſtrologiæ Profeſſ. Ienæ.

QVÆNAM tandem illa res eſt, Georgi, quam ambitioſo nomine circuli quadraturam, in qua inuenienda fruſtrà ſudauerit Archimedes, quam impoſſibilem explicatu credidit Ariſtoteles, nuncupant? Iure enim id ex te quæro, non tantum pro veteri noſtra inter nos amicitia, ſed & ob ſingularem tuam in Matheſi & Aſtronomia eruditionem. Librum, niſi fallor, de iſto problemate editum memini, ſed qui ad oculos meos nondum peruenit. Londinas Philoſophus dare quadratum circulo æquale facillimum eſſe chymico innuit. At ego tam ſum ingenio tardus, vt aſſequi ſatis nequeam. Tu chymiæ quondam deditus eras. In te concurrit præclara Geometriæ, Arithmeticæ, Aſtronomiæ & chymiæ noticia. Si fauebis, proculdubio omnem mihi adimes quod te rogo, ſcrupulum. Sed & de numeris quibuſdam & Aſtrologicis ænigmatis tuum deſiderem iudicium. Quanquam enim Pythagoras olim fuerit in his tam exercitatus, ipſaque res tam vulgaris in ea factione, vt ſtatim intelligerent numeroſos iſtos ſermones, atque ob id Socrati Platonico non fuerit difficile natura-

turalia & Ethica præcepta hieroglyphia Geometrica & Arithmetica dilucide explicare, cũ mathematicæ artes ipſius tempore fuerint tritiſſimæ & tyronum exercitia familiaria: tamẽ noſtro ſeculo & mos ipſe deſiit, nec niſi inter chymicos cabaliſtas inuenitur, & qui docere poterant, maximẽ deprehenduntur inuidi itaque intricati vt Delio natatore ad ipſas ænigmatum interpretationes egeas. Sed cum multa de eadem re quæri poſſint, quid velim à te mihi oſtenſum, paucis aperiam. Qui circulum quadrare velit ſecundum conſuetudinem Geometrarum, hypotheſibus illorum artificum & inſtrumentis vti ex arte poteſt. Chymicus lineis angulis, circulis, & ſimilibus non occupatur. Quì fit ergo vt polliceri auſit quæſtionis explicationem? Mitto materiales circulos & deſcriptiones tetrahedrorum. Mente capiendum quoddam perfectum eſt, quod ſit inſtar circuli totum rotundum, omniáque potentiâ complectatur, quę ſunt in imagine magni mundi. Hoc cum dilatatur, in aliud ſimiliter ab omni angulo & latere æquale perfectúmque abit, indéque iterum redit in circulum priori prorſus conſentaneum. Fit ergo ex circulari quadratum, & ex quadrato circulare ad amuſſim vtrobíque ſeruata ratione eadem ſubſtantiæ & perfectionis, cum alias nec in deſcriptionibus Geometricis nec corpori-

Quadrare circulum.

bus

bus tam exactè id fieri poſſit. Illud nihil aliud eſt quam materia lapidis philoſophici. Hæc cum vndiquaque ſibi ſimilis ſit, totaque ad oculum aquea continens in ſe certa proportione omnia elementa, vim vegetalem, animalem mineralemq́ue complexa: reſolui in principia quatuor poteſt tanquã in ſubſtantiales lineas, quæ ſuis punctis angularibus perfectè coniunctæ quadratum conficiunt, nulla nec maiore nec minore circuli amplitudine. Inde vero reuocantur elementa ad naturam circularem, fitq́ue ex quatuor vnum, & hoc eſt vnius indiuiduæque naturæ nec principium nec finem more circuli habens, cum quadratum ex circulo priori factum diuerſitatem quandam repræſentaret, ſed concordem & angularibus punctis connexam. Hocne ergo eſt quadrare circulum & ad eundem reuocare? Certè materia lapidis philoſophici tota eſt vniformis initio. Poſtea emergunt quatuor qualitates tanquam ex occulto in apertum prodeuntes: fitq́ue quod prius erat frigidum, humidum, poſtea calidum ſiccum: & hinc liqueſcit denuo in chaos priſtinum. Ideo vero ex tribus vna forma prodiit, quia vt Oſtanes & Democritus dicunt, natura gaudet natura; & ſol, luna Mercuriusq́ue philoſophorum in vnum conſpirant conſenſu amiciſſimo. Ideo poſtea diſcedunt in principia quatuor manente familiaritate, quia

eadem

eadem tria diuerſas obtinent facultates, ita vt in vno abſq; actuali ſegregatione tandem arte pyronomica emergant quatuor diſpoſitiones. Hæc quidem ita ſe habere ſcio ipſe; ſed vtrum attingant myſterium circuli quadrandi, nondum ſat perſuaſum habeo. Sed iam accipe quiddam aſtrologicum. Noſti quibus characteribus ſoleant inſigniri aries & taurus ſigna illa dodecatemorii cœleſtis. Iidem repræſentātur in hieroglyphia Mercurii philoſophorum, cuius nota hæc eſt: ☿. Circulus cum puncto indicat ſolem ſeu aurum. Semicirculus impoſitus repræſentat lunam corniculatam, quo pacto argentum indicatur. Hæ duæ imagines coniunctæ notam conſtituunt Tauri cœleſtis; cuius pars corniculata, arguit cœleſtem arietem. Dicunt chymici oſtendi hac hieroglyphia Solem & Lunam Mercurio immerſa & in ipſum redacta; exaltanda eſſe quandoquidem artis exaltatio ſolis eſt, taurus exaltatio lunæ. Et quia taurus ſignum fœcunditatis eſt; aries igneum principium; volunt illo terminum indicari; hoc cauſam intus foriſque agentem, vt illa materia per calorem ita exaltetur, quo ſeruata caloris proportione quæ congruit ſeminali principio, vis ei concilietur fœcunda ad tranſmutationem metallicę materiæ diſpoſitæ in aurum & argentum. Quid tu de his myſteriis? In ſcientia numerorum adhuc

Hieroglyphia Mercurii.

ſunt

ſint ſpinoſiora. Dicunt in artificio eſſe monadem, binarium, triadem, tetradem, ſeptenarium, denarium ex quo prodeat quinquagenarius, centenariuſque, ex quo iterum millenarius & deinceps in infinitum. Habent & proportiones vnius ad duodecim & tria & alias. Quaternarium in ternario quieſcere aiunt. In libris qui Paracelſo tribuuntur frequentia ſunt eiuſmodi ænigmata, quale hoc: Natura dedit rem quandam in qua duo, tria, quatuor myſtice tanquam in arca quadam ſunt concluſa & quieſcunt. Vbi monas, dyas, trias & tetras nominantur, quæ ſuo concurſu conſtituunt decada à Romanis litera crucis ſignatam, in qua item multum eſt hieroglyphiæ. De illa vero re alibi dicit, quod ſit minerale, in quo tres ſubſtantiæ ſeu naturæ, Mercurius nempe, ſulphur & aqua mineralis inueniantur, & quod ex iſtis ſit per naturam compoſitum, reſoluaturque chymia per ſuum ipſius ſuccum crudum, qui in ſuo autumno in viſcere terræ nondum maturuerit; occultetur autem ibi & accedentibus aſtris cœli ad naturam, prodeat Martio & ſucceſſiuè matureſcat. Alibi tales numeros habet: ſi velis, inquit, de vnitate per dualitaté in trinitatem cum æquali cuiuſq; permutatione pducere, verſus meridiem te verte, &c. Itẽ materia tincturę eſt res vna, ſi me ſpagyrice intelligis, quæ de tri-

Numeri Philoſophici.

Aenigma Paracelſi.

de tribus in vnam eſſentiam arte Vulcani abire & manere poteſt. Ea dicitur Ruber leo, qui auxilio naturæ & artificis tranſmutat ſe in albicantem aquilam, vt ex vno fiant duo, ne ſolis fulgor poſt ſpagirum ſplendeat, præter duo in vno reſeruatus. Item de proportione miſturę; accipe partem vnã ad duas; & tres ad quatuor. Alibi: cape liquoris mineralis partes quatuor; ſalis rubei terrę partes duas; ſulphuris ſolis partem vnam. Hæc & ſimilia in numeris valdè dicuntur obſcurè, quemadmodum etiam in Platonis Parmenide de vno & altero, & quæ reliqua is autor de numeris habet. Geberum inueniſſe Algebram tradunt. Genio huius non carebit, qui iſtas tricas euoluet. Archimedes de numero arenæ commentatus eſt. Ego ne ſi præter arenas etiam ſtellas numerare poſſem, chymica iſta intelligerem. Sed faciendum periculnm eſt. Iuuabit prodiſſe tenus, ſi non datur vltra. Per monadem vnam rem actu ſuo ſeu forma vndiquaque ſimplicem & vniuſmodi deſignari certum eſt. Ita enim affirmant artifices opus ſuum fieri ex vno minerali metallico, cui nihil alienum aut abſonum à natura eius accedat. Itaque quicquid additur, id amicum intimè eſſe oportet. Vſurpantur quidem interdum etiam alia extranea, vt ſpiritus minerales, tartarum & ſimilia; ſed ad præparandum ſaltem. Nam aurum difficillimè
ſoluitur,

ſoluitur, niſi prius ſpiritu tartari, quem Paracelſus vocat aſtrum vini, ter fuerit maceratum, vt ita ſeptem ſphæræ cæleſtes, hoc eſt, ſecundum mobile in chymia, quod in ſe continet ſeptem metallorum potentias, ter ſit peragratum, quanquam per illas ſphæras poſſit intelligi etiam liquor ſeu menſtruum ex eſſentiis ſeptem metallorũ concinnatũ, in quo aurum ſoluitur ter, & poſtea calx eius abluitur tartari arcano ſeu ſpiritu, quo facto poſtea facillimè reſeratur. Illam rem vnam potentiâ compoſitam eſſe, indicant numeri reliqui. Dicitur in illa eſſe dyas ſeu binarius, quod ego interpretor de ſyndyaſmo partium elemẽtarium, quarum vna apparet ſicca; altera humida; quæ etiam ſegregandæ ſunt, & iterum committendæ vincente primum humido poſtea ſicco. Intellige etiam ſuperius & inferius; volatile & fixum, de quibus diſſeruit Hermes. Sequitur trias. Hanc conficiunt corpus, anima & Spiritus, Sol, Luna, Mercurius, Sulphur, Aqua, Mercuriũs; ſicut ipſe loquitur ex veterum ſententia Paracelſus, quanquã innuat illos aqueum principium non agnouiſſe. Quaternarius numerus elementorũ qualitates potius deſignat quam elementa; item quatuor operis diſpoſitiones; dum initio eſt humidum frigidum; poſtea calidum ſiccum. Hæc quatuor mutant vices per ſyndyaſin, vt duo ſint in aper-

Paracelſus docet veteres appellaſſe ſpiritus humidos & ſiccos.

to;duo in occulto. Septenarius arguit vim metallorum,quę eſt in lapide,& deprehenditur per colores cuiq; metallo conuenientes. Per denarium fit augmentum virtutis, adeò vt prima operatio præbeat vim decuplam; ſecunda decies decuplam in vna parte;tertia centies centuplam, atque ita porrò, vnde infinitus penè exurgit numerus. Numeri proportionales in collatione obſeruantur,vt aliquando ſumãtur tres partes humidi, & vna ſicci; interdum vna ſicci & duodecim humidi. Interdũ quinquaginta ſicci & vna humidi. Non raro vna ſicci & mille humidi, aut pro viribus lapidis. Aliquando proportio non exprimitur, ſed ad arbitrium artificis colligitur. Attẽdendum eſt quod trinitas etiam ſit in operis repetitione;& dualitas in materia menſtrui,quaternitas in regimine ignis;vnitas in vaſe fornaceque.Londinas meminit etiam aliorum numerorum vt octonarii, quinarii, ſenarii, nonarii,&c.Sed hi ſunt obſcuriores dependentes non tam ex artis ratione, quam artificis ſingulari conſideratione. Tẽpus conſideratur vario numero: potiſſimum quinario,octonario, quadragenario, nonagenario, centenario & ſic deinceps pro vt artifex operatur. Non enim ſemper certi præſcribuntur dies,cum inſtrumenta & operationis induſtria quin & materiæ apparatus, & modus artis varient. Ita de nouem menſibus

ſibus plæriq; loquuntur. Alii hos reiiciunt. Alii dies pauciores, alii annos plures poſcũt. Colorum apparentia ſenario diſcernitur. Articuli operum definiuntur octodenario, tricenario & ita deinceps. Pro materia operis poſtulatur auri vncia pura, & fermenti grana quindecim, ſicut ait axiomatica operis doctrina turbæ præmiſſa. Septenarius etiam ſolet obſeruari in præparatione aquæ crudæ. Sed ſatis nugarum eſt. Tu Geometra, Arithmeticus, & Aſtrologus Chymicusque inuenies plura, eaq; pro tua ſolertia commodè explicabis. Vale.

EPIST. XX. DE OVO PHILOſophico eiuſq; partib. & eſſentiis chymicis.

AD VIRUM ORNATISS. D. M. GEORgium Limnæum Mathematicum & Aſtronomum Ienenſem.

NVLLAM eſſe negotiationem neq; honeſtiorẽ neq; Deo acceptiorẽ, quam ſi veritatis amatores per terras mariaq; ad virorũ ſapientũ emporia appulſi, loco mercimoniorũ inde reportẽt ſapientiam, multarumq; rerum cognitu & iucũdarum & neceſſariarum copiam, autor eſt in epiſtola ad Dionyſium Plato. Si itaq; te, Georgi, cum aliis eruditis adiuero crebrius, q mihi paratꝰ ſit fructꝰ, vides. Quò pclarior is eſt, quoq; honeſtior eius acquirendi conatus, eò me magis anniti & viribus contẽdere oportere ſatis intelligis. Neq; tu mihi hanc mercatu-

ram inuidebis, nec te compellari ægrè feres. Bonum enim nulla tangit inuidentia. Sed & libenter mecum communicabis, ſi quid arcanæ habes ſcientiæ. Quanquam enim Plato iubeat Dionyſio cauere, ne quid ſapientiæ contractæ & occultioris ad aures hominum diſciplinæ & eruditionis expertium perueniat, propterea quod nihil ſit tam ridiculum populo; Hippocrates etiam ſacra manifeſtari ſacris præcipiat; Et Londinas religioſam admodum à Deo veniam petat propter dictam quaternarii in ternatio quietem: tamen cum me filium doctrinæ profitear, & in ingenuorum quibus ſecreta illa, vt ait Plato, ſunt maximè mirabilia diuinaque, tribu eſſe ſtudeam; nec diffidat Londinas, quin nominata myſteria nihilominus ab intellectu multitudinis ſint futura remota: nihil hæſitabis, ſed quicquid habes mercium ſapientum, id expones totum. Noſti figmentum Æſopicum de inimicitia aquilæ & ſcarabæi, & quo pacto hic illius iniurias ſit vltus corrumpendo oua & in præceps etiam ex Iouis ſinu effundendo, quò fractis deprauatiſque proſapia aquilina gentis amplіandæ ſpe priuaretur. Accommodauit fabulam ad chryſurgian chymicam Londinas, iuſſitque agnoſcere quæ ſit albuminis ouorum aqua; quod ex vitellis oleum; quæ calx ouorum, in quibus turpiſſimè haluci-

Fabula ſcarabæi & aquilæ.

nentur

nentur imperitiſſimi Alchymiſtæ, quemadmodum Bernhardi docet hiſtoria, conquerentis ſe olim magno cuiuſdam ſupercilio inductum fruſtra in ouis vulgaribus quæſiuiſſe id quod illis non ineſt. Eſt autem mirabilis expoſitio Londinatis. Suadet vt artem diſcamus ab Heliocantharis, qui certis temporum curriculis latitando viuant, (alludit ad illud σοφὸν; λαθὲ βιώσας) quique velint ſuis iudiciis de ſuo inimico ſumi poſſe vindictam. Innuit vtendum eſſe artificio ſcarabæi, qui fimo ſe inuoluit, cuius ope diſſolutum eſt ouum aquilinum: deinde calcem eius cum puro albumine totoque temperandam: temperamentum toto vitelli liquore artificioſo ordine oblinendum, voluendo reuoluendoque, quo magna oui fiat metamorphoſis iam ſcilicet diſparente & quaſi inuoluto albumine ipſo in ipſo vitellinoſo liquore. Hæc ille. Tune intelligis interpretem? Quantū ego iudico nō erat opus veniā manifeſtationis petere. Dicta enim indicta ſunt, ſicut & illa Platonica ad Dionyſium de rege omnium circa quem ſint cuncta, cuius gratia omnia, qui pulchrorum omnium cauſa; circa ſecundum ſecunda; tertia circa tertium. Certè affectamus quidem illa intelligere per nobis familiaria ſed vbique apparet defectus & aqua, quod aiunt, hæret. Non autem iudico inconcinnam eſſe interpretationem, *Aenigma Platonis.*

 nec

nec feſelliſſe diſcentes Lõdinatem, quod vt accipias, aperiã tibi mentem meam,inq; ſinum effundã cogitationes. Ouum philoſophicũ modo inſtrumentũ apparatus chymici eſt, modo materia ipſa. Nominis ratio ibi à forma dependet. Oualẽ .n.obtinet figurã, quanq̃ & globoſa depingat̃. In medio eius cubiculũ cõcauitasq; eſt capiẽdo vitro philoſophico cõgruẽs. Fit ex ligno querno orbib. ſectilib. & plicatilibus, vt aperiri claudiq; poſſit. Materia vero ouũ appellat̃ propter analogian contentorũ & partiũ. Sicut enim in ouo naturali vitellus citrinus eſt mediũ ſortitus locum: eſt & albumen cum ſpiritu virtuteq; ſeminali in grandine dicta ambientib. cuticulis: ſicut item ex ouo incubatu volucris prodit pullus, cuius nutrimentũ initio eſt in eadem teſta; poſtea vero foris petitur: ita eſt in materia lapidis philoſophici. Omnes partes forma apparent aquea,ſed diuerſis tamen affectæ virtutib. In medio occultatur vis ignea: in ambitu humiditas aquea actu exiſtit & ſpiritum prolificum continet. Aurũ vitellus eſt, philoſophorum Mercurius albumen. Virtus in vtroq; prouocatur calore fimi vel gallinę. Ita coquitur ouũ, & crepitat rumpiturq; cum diſſoluitur aurum & in liquorẽ effunditur parte ignea innatante. Hæc vbi ſegregata eſt; calx oui vocatur. Fit enim calcinatione philoſophica per ignem Gehennæ ſeu ace-

tum

rum philoſophorũ, quo pacto ſcis diſſolui plumbum in ceruſſam. Hæc calx tẽperatur oui oleo imbibiturq; & vnitur. Oleum autẽ nihil eſt aliud q̃ Mercurius philoſophorũ factus ex auro & argento per deſtillatiõnẽ philoſophicã. Hic quia amicus eſt calci; vtrumq; enim ex vna factũ eſt natura: ideo eidẽ promptè ſuſcipit coagulatq; vna. Sed quis eſt ille Heliocantharus? artifex nõ glorioſus, quales ſunt illi vani nugatores qui principes deludũt & neſcio quos illis Theſauros policẽtur nefariè, ſed taciturnus, qui ſuſtinuit illã metamorphoſin Platonicã, & olim viſa ſibi incredibilia, nũc poſt ætatem maturam & experientiam ſcit valdè credibilia eſſe certa & perſpicuã, quiq; votum ſilentii Harpocrati fecit, maximè admiratus arcanã Dei in natura potentiã. Hinc à vulgo ſe ſeiungit & clam philoſophatur, quæ etiã cauſa eſt, cur nulli appareãt in ꝓpatulo artifices, nec taberna auri fabricãdi aperiat certo iudicio ꝙ artẽ ignoret, quiſquis multa vanè temereq; de ea in aulis magnatũ deblaterat. Ecce cõiectorẽ. Si ſcopũ attigi, labore docẽdi ſuperſedebis vacabisq;, ſin minus, ſudãdũ erit alacriter. Verendũ.n.eſt ne inuida & fugax illa aquila tam altè ouũ ponat; vt aſſequi non poſſimus. Niſi fallor, vt corui hiantes ludimur. Nam in ipſa fabula additur Iouem curaſſe, vt eo tempore oua aquilina edantur, quo nulli comparent ſcarabæi;

Heliocantharus.

 rabæi;

rabæi ſi rumpi non poteſt ouum niſi horum opera: hi autem nuſquam tempore inueniuntur ſuo, idque fatali decreto ſummi Dei, an non irrita ſpes omnis eſt; Ouum ſemen animalium quorundam eſt aut potius ſeminarium. Animal ipſum fœtus legitimus. Si auri ſemen lapis eſt cõgruens cum ouo; quid aliud innuit apologus, niſi quod aurum natura tantum fiat, non autem arte? Artifice non comparente artis opus non eſt. Poſt feſtum, vbi natura aurum perfecit, fruſtra prorepunt, ſicut canthari temerè tunc inſidiantur aquilis. An additamentum iſtud οὐδὲν πρὸς χρυσοποιΐαν; Naturam animalem ſpectat decretum Iouis, non autem mineralẽ nec artem. Omne ſimile cum idem fit, deſinit eſſe ὅμοιον. Sed tu ingenioſa excogitabis diuerticula, & laboranti rationi aliquod σοφὸν accommodabis φάρμακον. Vale.

EPIST. XXI. DE PRINcipiis & elementis chymicis.

AD VIRVM ORNATISS. D. M. GEORgium Limnæum Phil Mathem. & Aſtronomum Ienenſem.

NON immerito maximo in honore apud veteres mathematicę fuerunt diſciplinæ. Geometria enim & Arithmetica rerum menſura videtur eſſe, in quam intuitus omnipotens conditor ſingula fecit ad amuſſim. Quam mirabilis eſt harmonicus

aſtrorum ſeptenarius? Quam myſtica trias? Nobiliſſimi philoſophorum, academici veteres & Pythagoræi in explicatione numeroſæ Geometricæque ſapientiæ maximè elaborarunt. Reſiſtit quidem Peripat. princeps præceptoris ſui planis triangulis, & Pythagoræ numeros conatur infringere: at ſi intellexiſſet omnia eſſentialia eſſe, non tam fuiſſet aduerſatus, quanquam ego putē non tam magiſtris illis ſe oppoſuiſſe hūc quam perperam explicantibus doctrinam diſcipulis, & philoſophiam totam ad numeros & figuras myſticas neglecta vtilitate publica transferentibus. Ita nos opponimus etiamnum hodie illis qui numeris abſtractis figuriſque inſolitas tribuunt ex fundamanto magiæ pernicioſæ virtutes. Philoſophorum ſententiæ de concretis ſeu eſſentialibus loquũtur, & arcana diuinarum humanarumque rerum iſta hieroglyphia, repręſentant. Cœlum Plato δωδεκαέδρῳ complectitur, quæ figura conficitur duodecim pentagonis æqualibus & æquilateris. Crediderim ipſum materiam quidem eius ſimplicem, & vndiquaque ſibi homogeneam reſpexiſſe, ſed quæ vires quatuor naturarũ comprehenderet, & ſimul trium rerum ſeminale cõtineret principium. Pentagonum enim includit tres triangulos, per quos, puto, ipſi deſignantur tres potentię, vegetans, ſentiens, & rationem conferens; ſeu vt chy-

mici exponunt,mineralis,vegetalis,anima-
lis ; aut eleméta illa ſulphureũ, Mercuriale,
ſalſum. Ita iudicant ſpagyri cum omnia ma-
teriata ex duplici triangulorum genere cõ-
ſtituat primum; eum admodum veneratum
eſſe iſta principia cœleſti terrenóq; diſtin-
cta,quanquam binarij multiplex poſſit eſſe
interpretatio , & Platonis locus potius re-
ſpiciat motum tribus elementis cõgruum;
& ἀκινησίαν quæ eſt in cubo tetræ. Sed ego
tibi iſta euoluenda cõmitto. Es enim in nu-
meris & figuris exercitatior. Cur terræ ſit
tributa figura cubica ſenorũ tetragonorũ,
quorum quilibet quatuor cõplectitur triã-
gulos æquilateres ; cur igni pyramis, aëri o-
ctaedron; aquæ εἰκοσάεδρον; tu optimè noue-
ris. Nunc cum ternarius & tetras tum ſint
Numeri chymici. vſitati philoſophis priſcis,iiſq; deſignentur
in natura principia & elementa dicta;de his
libet tecũ paulo fuſius colloqui.Omnis na-
tura corporea duplici conſtat eoq; maximè
vniuerſali principio,materia nẽpe & forma,
quæ fatali lege ita ſunt colligata,vt alterũ ſi-
ne altero eſſe nequeat , nec alterũ ab altero
ſeparari , niſi analogia aut cogitatione qua-
dam,poſſit.In Geneſi, philoſophus adiecit
στέρησιν,vt trino numero pfectò conſtaret o-
mnis rerũ ortus.Plato adhuc altius philoſo-
phatus ante cœli ortum ratione triplici tria
fuiſſe ſtatuit, Exiſtens nẽpe,generationẽ,&
locũ.Generatione cõprehẽdit motũ & ma-

teriam, quā & nutricē eius appellat, ex qua ꝑgenitæ ſint quatuor elementorū ſpecies, ſicut & Ariſtoteles in meteoris naturā illā cœlo incluſam primū informē ꝓponit, quaſi materia quædā & potētia ſit, q̄ agēte cœlo diuerſas induerit formas, factaq; ſit ignis ex calido ſicco materiæ infuſo; aer ex calido humido; aqua ex frigido humido; terra ex frigido ſicco. Numerus iſte ternarius etiam arriſit chymicis, quanquā res ſint mutatę. In ſale conſtituunt fœcundantē naturā aliqui, dicūtq; inde eſſe naſcēdi vigorē. Terminat enim humidum & formā donat. Vim itaq; plaſticā & formatiuā ſibi vēdicare videtur, idq; tum nutritio & accretio in animalibus cōprobat, tum generatio. Nihil enim gignitur in terra mariq; niſi beneficio calidi ſicciq; agentis & informātis. Materia patiens, & omnium formarum ſuſceptiua illis nuncupatur principium mercuriale, quod & aqueum eſt, & Mercurij tum cœleſtis tum mineralis mutabile ingenium repræſentat. Hoc terminatum ab agēte calido ſicco vitā cuiuſq; & virtutes dicitur continere, & verus balſamus eſſe cui, quicquid eſſentialium proprietatum rei ineſt, referunt acceptum. Sulphur cōplere corpus aſſerunt & ſemen cōtinere. Qui analogias explicāt, in triplicē ſubſtantiam miſta diſtinguunt, aqueā nēpe, terreām & oleoſam. Hæc ſulphur eſt; aquea mercurius, terrea ſal. In nutritione prerogatiuam

Tria elementa.

tiuam Mercurius obtinet. Nam ſulphur & ſal adiuuantia perhibentur, vnde fiat vt officio peractó tanquam recrementa ſegregentur, quanquá non tota. Hæc & ſimilia, Georgi, noſti prolixè diſputari & cum magno ſupercilio à chymicis vulgaribus proponi. Sed non carent ambiguitate, nec ſine iudicio certo determinatoq; poſſunt comprobari. *Veterum principia.* Paracelſus veteribus tribuit quod tantum ſulphur & mercurium agnouerint; omiſerint autem tertium principium quod in aqua iacet. (Salem innuit qui prodit ex decoctaaqua, quiq; ex combuſtis percolatione aquę & tabe terrearũ partium à flammis victarum fixarumque elicitur.) Sed veteres de metallicis diſſeruerunt & ad agens patiensq; reſpexerunt potius quam ad materiæ heterogenian. Agens & pater metallorum ſulphur nominatur. Eius determinatum patiens eſt hydrargyros. Vtraquę verò non ſunt planè ſimplicia, ſed miſta. Itaque nec principia ſunt primum; ſed certi generis, nempe metallorum. Nec opus eſt ſale ad conſtitutionem ſubſtantialem. Elicitur quidem ſal ex rebus. Sed hoc argumento non magis principium vniuerſale eſt, quam aliud quiduis. Si illa forét rerum initia, quæ artificioſis operibus ex miſtis euocantur; potiores ſibi vendicaret caput mortuum & halitus vaporesque. Nam hæc duo potius ſunt vltima. Vapor cum coagulat, aqua fit.

Hali-

Halitus tranſit in oleum aut ſiccam ſubſtā-
tiam. Sed hæc poſteriora eſſe, argumēto eſt,
quia ex illis fiunt & in illa reſoluuntur de-
nuo. Adde quod ſulphurea ſalſaq; ſubſtan-
tia etiam hoc nomine non poſſit eſſe primū
principium rerum, quia miſta eſt vtraque
& craſin rei ſuæ obtinet, poteſtq; reſolui in
elementa. Dem itaque hoc chymicis vt iſta
tria pro artis ſuæ proponāt initiis; quorum
natura in mineralibus metallicisque ſit ma-
xime per ſe; in aliis verò non niſi ſecundum
analogian: at primorum principiorum no-
mine non acceperim. Sunt enim priora e-
lementa. Nec ſat liquida demonſtratio eſt
per ignem chymicum. Hic enim vim affert
rebus, & tranſmutat cognata in id quod de-
terminatum eſt. Naturæ ratio ſpontaneam
naturalemque ſolutionem poſtulat, in qua
nullum ſit agens violentum, ſicut in putre-
factione cernimus naturali. Quod afficitur
valido agēte; ſuſpectum de ſimplicitate eſt.
Eſt autem lex quædam iudicij etiam in na-
turali ſolutione. Nam non quodcunq; per
putredinē exiſtit, principium eſt; ſed quod
ſimplex eſt, quodque dum mutatur, in ho-
mogeneū ſimplex abit, indeq; redit, qualis
permutatio eſt elementorum. Hæc enim
ideo prima & ſimplicia corporum cenſen-
tur, quia in his ſtatus eſt, nec datur illa mu-
tatio ſimplex in aliud quam in ipſa, idq; cir-
culariter. Ita & omne miſtum cum corrum-
pitur

pitur totum, nõ in ſulphur, ſalem & mercurium faceſſit, ſed in aquã & σύστιχα. Si chymici artem ſuam nõ tranſiliunt, donabimus illa tria propriç eorum diſciplinç, ſicut anatomicis conniuendum eſt, dum ſimilaria mẽbra pro elementis habent, itaq; faciendum etiam in Grammatica, Geometria & reliquis ſcientiis, quarum quælibet ſuis vtitur elementis. Agnoſcunt hoc ipſum etiam artifices. Nam ex corporibus miſtis elemẽta quatuor educunt, depurantq́;, quorum tamen nullum eſt mercurius, ſal, ſulphur; neque his nominibus dicitur, ſed ignis, aër, aqua, terra more cõſueto. Porro vnũquodque elementũ chymicum trium eſt generũ; vegetale nẽpe vnum, aliud minerale, aliud animale, ex quo ipſo item intelligimus, hæc à priſcis nõ pro omnium primis fuiſſe habita. Mineralia nõ in miſtis tantum aliis inueniuntur, ſed & ſeorſim ipſa ſunt certa miſtorũ ſpecies. Vegetale & animale non ſunt niſi in miſtis καθ' δυνάμιν, indeque vel arte vel colore naturæ educuntur, aut potius fiunt per generationem ex aliis corruptis, quanquam ego animale ſulphur comprehenderim vegetali; niſi quis diſtinguere vellet plantali & animali. Vegetale enim ineſt etiam animalibus nec quicquam fit ex illis quà ſunt animalia, ſed qua naturam vegetam habent. Lubet ex te quærere eſſentiæ perfectæ ad quodnã referantur genus, cum in

in illis nullum principium ſit ſolum, & ta-
men arte ſint extractæ. Non mera principia
fieri à chymicis dices, ſed & alias eſſentias,
quarum quæuis poſſit illi principio aſſi-
gnari, cuius naturam habeat ampliorem
præſtantioremque. Argutum reſponſum.
Sed ſpiritus quonam pertinent? Alij olea
eos nominant, alij aquas. Nec ſunt ſine ſale.
An non refert quanam quiduis ſit facie vul-
tuque externo, modo æſtimetur ex natu-
ræ proprietate? Itaque ſal erit etiam mu-
ria & aqua regia: Mercurius acetum &
turbith minerale: ſulphur tum cinabaris,
tum oleum. At in mercurio erat balſamus.
Hic autem oleoſa eſt natura. Non itaque
quoduis pingue erit ſulphureum. Vellem
mihi hûc ſcrupulum tollerent Paracelſitæ,
quorum iſta ſunt commenta. Nam ex prin-
cipiorum inuẽtione & explicatione illis ni-
hil debetur præter corruptelas & inanes
nugas. Eſt & aliud quod ſcire velim. Cum e-
nim omnis virtus rei in illis tribus recum-
bat, an non fas ſit vt quaternario numero o-
mnis ſubſtantia chymica comprehenda-
tur, ſitque omnis vel mercurius, vel ſal,
vel ſulphur, vel eſſentia integra? Si affirma-
re velis, non abſurdum ſtatueris, modo cer-
tum eſſet trium principiorum fundamen-
tum. Vereor enim ne aer & halitus & capita
mortua ſibi quoq; aliquid vendicent. Aliâs
chymici cum elementa educunt non tam
conſi-

conſiſtentia & facie externa diuerſa, quæ virtutibus iſtum obſeruant numerum & aquoſum liquorem aquæ nomine, flauum aëris, rubrum ignis deſignãt; terram autem repræſentant puluere quodam coagulato. Sed hæc variant in diuerſis generibus. Annoto obiter illa tria etiam diſtingui medicina, nutritione & excrementis vt quoddam ſulphur ſit medicamentoſum, quoddam nutritiuum, quoddam excrementicium. Nullum tamen horum per ſe eſt. Quid enim chymiæ cum excrementis? Primam vim nutriendi aſſignarunt parti mercuriali. Itaq; Paracelſus deprauans etiam hanc ſententiam, vt ſolet, ſcribere nõ eſt veritus ſalem & ſulphur ſeparari; alere verò tantum mercurium, quod abſurdum eſt ſi animalia & plantæ conſtant ex illis tribus ſimul, neq; tamen vegetalia ſecernunt iſta manifeſtè. Sed fortaſſis, inquient, ex mercurio ſolo ſecundum corpus conſtare res, reliqua deſignare vires. Nam ſulphur metallicum eſt vt ſtannum quod cupro miſcetur, & formantis ſeminisq; virilis rationem obtinet, quãquam Paracelſici confuſores ei corpus addicant, & ſali formãtiuum figuratiuumque donent officium. Si ita dicẽt; videant quomodo tria ex miſtis ſecũdum materiam ſeu corpus promittant. An σοφὸν ex diſtinctione φάρμακον vulnus ſanabit? Philoſophus ſanè elementa aliquando calore humoreque & reliquis

reliquis qualitatibus deſignat, idq; in lapidis generatione etiam attendunt chymici; aliquando aërem, terram, aquam, ignẽ vocat, ſicut & ſpagyri. Ita videntur ſulphur, ſal, mercurius interdũ corpora eſſe, interdũ virtutes corporeæ. Si corpora; ex his ante miſturã ſecretis & coëuntibus fit miſtum, ſicut philoſophus ex aqua & terra corpus miſti conſtituit. Velim tamen tunc intelligi potius analogica, quam ſynonyma, quæ in natura ſeparatim exiſtunt præſertim extra metalla, quorum ratio eſt alia. Si virtutes; cum his ſubſtrata ſint elementa alia, facilè eſt quoduis ex quouis conficere, & interdum ſeparare, interdum nõ. Inuenias apud chymicos præter diſtinctionem illam, etiam alias, vt quod mercurius alius ſit crudus, alius corporum; quod de minerali accipitur; item alius philoſophorum qui eſt ex crudo & corporum mercurio conflatus artificioſè. Eſt & viuus & extinctus; hocque vel per naturam, vel artem. Sal item plurimas habet differentias, de quibus iam non vacat verba facere. Ego te hæc conſiderare & valere iubeo.

EPIST. XXII. DE VSU PRINCIPIORVM ET ELEMENTORUM apud chymicos, & præcipuè de pyronomia.

AD VIRVM ORNATISS. D. M. Georgium Limnæum Phil. Mathematum & Aſtronomiæ Profeſſ.

O MAGNÆ fidei homines copernicianos. Quid enim credere nō poſſunt, ſi cœlum ſtare, terrā verò in gyrum duci perſuaſum habent? Æquant eos penè chymici. Hi enim pyramidē ignis ad cubum perducunt, & cubum terræ permutant viciſſim illa. Mobilibus motum adimunt, ſeſſilia donant alis, faciuntq; volatilia. Non mirū eſt, homines naſci volucres, quando & cœlum ipſum in contrariam adigerent ſpeciem, niſi remotius ab ollis eſſet. Lapides Amphionis alites, & quercus ambulones abſurdè niſi ſunt confinxiſſe veteres. Chymicus erat Amphion. Mutare naturas rerum poterat. Deſinat mirari imperitia, & ſuo ſenſu ſolidā refellere veritatē. Spagyrico terra in aquam liqueſcit; aqua aëre permutatur, & inde æthercam aſſumit velocitatem. Sed & redit in gyrum tranſmutatio. Fiunt elemēta ex elementis circulo, quanquam ad Amphionis fabulam explicandam non opus ſit chymia. Cum lapides pluit; diſcimus ex aëre illos venire. Aſychis rex Ægypti celebrē è lateribus pyra-

pyramidem feciſſe traditur, collecto luto quod ex perturbatione ſtagni contis adhæſit. Quid ſi Amphionij muri è puluere per aërem ducto concretoq; fuiſſent excitati? Nimis plebeia eſt de ęquoreo itinere & nauali opera ſententia; nimis item pingue, quod vi ſapientiæ perſuaſi ſaxei homines in cœtum coierint, & iuſſa executi lapides per aërem comportarint. Miraculi quid ſubeſſe credendum eſt. Ideoque & magiæ autorem damnant. Sed nos iam illum interpretemur chymica magnificentia. Facit hęc elementa ex elementis & miſtis, iterumque in vultus priſtinos mutat, tum ad mirabiles illos, tum alios vſus, de quibus quid obſtat, quin adiiciam plura? Vtar tua beneuolentia cum licet. Scis chymicorum principia accipi bifariam, ſicut & elementa; interdum ſcilicet συνωνύμως, interdum ὁμωνύμως. Synonyma ſunt, cum ignem, aërem, aquam, terram, & quintam naturam: item ſalem, ſulphur, & mercurium perinde nominant, intelliguntq; ac naturæ per ſe cõtemplatores. Æquiuoca & analoga modò ipſas formas qualitatesq;, vt & apud Ariſtotelẽ deſignant; modò res concretas conſiſtentiam aut vim elementorum obtinentes. Itaq; calidum ſiccũ cum eſt; ignem appellãt; humidũ frigidum aquam & ſic deinceps. Quod item phlegma & humor aqueus ex ſolutione prodit; pro aqua habetur; qui liquor

aëreus pro aëre, igneus pro igne, terreus puluis pro terra, depuratiſſima natura vires totius & proprietates ſecum vehens, pro elemento quinto. Ita eſt & de principiis, ſale nempe & cõgeneribus. Non enim ſemper viuit mercurius chymicus, & voluitur quo pacto hydrargyros. Congruunt autem terra & ſal; aqua & mercurius, aër ignisq; & ſulphur, quanquã aliqui chymici ignem repudient, & vt tria principia ita & elemẽta totidem agnoſcant; aliqui ignem ſeruent. Differunt tandem etiã gradu virtutis, & cõmiſtione ſeu contẽperatione, de quibus nunc nõ eſt dicendi locus. Vſus omniũ geminus eſt. Aut enim ad artis opera tanquã ſeruitia accerſuntur; aut externę neceſſitatis gratia, vt ad medicandũ, ornandum, permutandũ, aliasq; vitę ſuſtentationes cõcinnantur. De hoc non curo in præſens. Aquæ chymicæ non raro menſtrui vicem ſuſtinent, eodem modo quo Rhabarbari eſſentia per aquam endiuiæ extrahitur. Aliquando acrimoniæ tẽperandę eluendæq; adhibentur, vt in calcinatis per ſales, ignes, aquas fortes, & ſimilia. Sed & quęuis alia qualitas peregrina, quæ inter præparandũ acceſſit, abſtergi aqueo elemento, potiſſimũ ex vulgari aqua, aliquoties extracto, ſolet. Eſt quãdo p phlegma eſſentia ignea aëreaq; & terrea ſalſedo ex capitibus mortuis exigitur. Nã aqua vel eleuat ſecũ aerẽ ignemq;, licet hoc nõ poſſit fieri

fieri in omnibus; vel eluit. Eſt quando eiuſdem opera ſoluimus, diluimusq; coagulata. Reliquos vſus taceo. Aër miniſtrat rarius. Vbi penetrantior vis requiritur, aut quædã correctio; ſeruit. Alioquin, cum balſamum ferè habeat coniunctum, ipſe ſibi finis eſt. Terra itẽ miniſtrat in acuminibus addẽdis, veluti cum vini eſſentia ad frangendum aurũ accõmodatur; aut ſpiritus tartari aut ſal ingeritur. Quinta natura & maximè dominatur & miniſtrat maximè. Nam & principali educitur fine; & ad eſſentias alias eliciẽdas adhibetur ſicut notiſſimum eſt de vſu cœli philoſophici, cui accõmodantur aſtra chymica. Non tantum autẽ id præſtat, ſed & rectificat, corrigitq; admiſtione ſui, ſi quod inexpugnabile eſt in pertinacibus vitium. Inter principia chymica ſulphur maximè ad cõpeſcendum coagulandumq; adhibetur mercuriũ, quod te ſecundum analogiã in aliis ſimiliter accepturum cõfido. Eſt & vſus aliquis in ſeparatis. Nam quidã mercurius ſoluit corpora; quidã coagulat in lapidem, cuius eſt materia; quidã nutrit infantẽ; quidam eſt metallicæ tranſmutationis materia: Nec vnus vbiuis eſt accõmodus. Qui chymicum peritum velit agere, circumſpiciet vbi locum habeant tum φυσικῶς mineralia in mineralibus, & hæc in vegetalibus; tum εἰδικῶς quænam mineralia, in quibus mineralibus & vegetalibus, idque propter natura-

rum conſenſum diſſenſumque. Non autem vſurpat chymicus tantum elementa artis legibus adaptata; ſed & externa. In aëre frigido humido ſoluit calces ſalesque; in terra putrefacit; aqua eluit, ſoluit, mundat, præſertim pluuiâ vbi ſynceritas requiritur exacta. Temperat eorundem interuẽtu etiam ignes, vnde cineres, arena, balneum & cætera. Igni gaudet maximè. Hic præſtantiſſimorum operum miniſter eſt, vt quanquam Orimaſda ſit olim victus ab hydropico aduerſario, nihilominus ſacer maneat ſpagyro & ſuo modo venerabilis. Eius decreta & leges, vnde nata eſt pyronomia, non facilè percenſueris. Vna inſtar omnium eſt, vt nempe vtaris pro rei natura & operis fine ingenioſè; quod ni fit, cum intendi poſſit vis eius & remitti, ab vtroque extremo & ignominia & damnum eſt præſto. Vnde piſtores, coqui, metallurgi & reliqua vulcani factio ſunt artifices niſi ab ignis induſtria? Non vnius eſt modi ignis chymicus. Eſt ignis cœleſtis, isq; potiſſimum occultus, nec niſi effectu ſuæ naturæ conſentaneo deprehendendus: eſt elementaris: alius ἐν δυνάμει; alius ἐνεργείᾳ. Flammeus prunarũ aliorumq; ignitorum, & qui feruor accenſusq; halitus in cremiis eſt, oculis etiã patet. Sed & calor quiuis appellatur ignis. Philoſophicum ignem vocãt qui è lege ſapientis operationis cuiq; patiẽ-

ti eſt

ti eſt determinatus, & geneſi ſubſeruiens non aberrat à ſcopo. In hoc eſt quidã vaporoſus nominatus, qui in opere lapidis calor eſt inuiſibilis in ſpiritu halitúve attemperato conſiſtens. Ignem gehennæ dicunt eſſe in hydrargyro, propterea quod metalla, & in his aurum flammis inuictum donet, itaque adurat vt in fuliginem ſoluatur. Sed ignis Stygius eſt etiam in aqua Stygia, quam acutam fortemque appellant; eſt in lixiuiis & horum coagulis ſaleque & ſimilibus. Ignis trium filorum valdè eſt moderatus; languidior illo ignis vnius & duorum. Ita autem appellantur hi gradus, quaſi intelligatur calor tantus quantus fit incenſis tot filis cera obductis. Reuerberatorius eſt, cum flamma reciprocante, reflexaq;. Circulatorius plerunque nuncupatur is, qui vas chymicum amplectitur circulo, aggeſtis vndique prunis, ſeu incenſa materia, vt fit in deſtillatione, per deſcenſum. Artifices obſeruarunt quatuor eius gradus, inter quos primus eſt lenis admodum, & vocatur ignis fimi vel balnei, quanquam etiam aliis comparari poſſit rebus, vt fœno madefacto, gigartis & ſimilibus, modo non excedat vim gallinæ incubantis oua, excludentiſque pullos, aut calorem humanum, qualis eſt in ſinu noſtro cum valemus, ſeu quo omnino veris tempore gignuntur plantæ & anima-

lia. Quidam eo circumſcribunt gradum, quo liquatum plumbum nec amplius efferueſcat, nec concreſcat, quoq; infans in vtero gignitur, aut palma manus per ſe calet. Hic aliquando planè eſt vaporoſus, vt in fimo per asbeſtum præparato & aliis ex humectatione incaleſcentibus: interdum fouetur ab alio principio, nempe aut à ſole, aut flamma ſicut cum ad fornacem quid maceramus, aut balneum fouemus, quo pacto etiam lapis coqui ſolet. Interuenit nonnunquam vas ſimplex, duplex, triplex, &c. Sicut & in aliis; vnde in diplomate, triplomate, &c. coquere eſt, cum res in vaſe peculiari contentæ ſeu aquæ fimóve immittuntur, ſeu in cacabo ſuſpenduntur vt vapore feriantur, &c. Eſt hîc interdum ſiccus, interdum humidus; hoc eſt, halituoſus vel vapidus. Ibi ſpiritus ignei dominantur; hic aquei, vt cum ſuper muſto feruente peragitur coctio. Halituoſus plærunque interuentu cinerum, & ſimilium procuratur. Sol, calx viua, ignis ſtupharum, fimetum & ſimilia plurimum hîc accerſuntur. Multiplici ingenio modi eius extiterunt multi. Vſus eorum in prima lapidis geneſi & lactatione; in rectificatione per circulationem; in putrefactione ſolutioneque naturali; in ſubtiliſſima parte ſpirituum ſegreganda, in alterando, & ſimilibus. Videbit artifex quo-

Potiſsimum duplex catinus cinereus, quorum alter alteri imponitur, ita vt alter cucurbitam contineat: & in balneo cātinari, &c ſunt in vſu, quanquam & miſceri iſta queant, &c.

quouſque ſibi ſit elaborandum, & quomodo. Hoc igni multa aſſequetur, quæ maiore nunquam. In hoc maxima eſt ad peccandum procliuitas. Solet hic gradus etiam præmitti reliquis in omni pene opere, non materiæ tantum cauſa, ſed & vaſorum; modicè & ſine noxa ſiccat, & corruptiuam humiditatem tollit. Eleuat etiam & ſeparat ea, quæ aliâs nequeunt. Attendendum autem hunc etſi leuis ſit reſpectu aliorum, gradus tamen admittere, quorum non omnis vbiuis, nec ſemper locum obtinet. Scribi dicive non poſſunt omnia. Qui nequit rerum naturam cum agente cauſa in proæreſi ad finem præſtitutum liquido & induſtriè componere regereque, vix quicquam in arte pyronomica præſtabit laudati. Secundus gradus ignis eſt cinerum, ab his appellatus, quod plærunque acceſſu cinerum adminiſtretur, quanquam per cineres aſſequamur etiam gradum primum, & non tantum hos ſed & alia vſurpemus media, quo pacto cōſtat fimi calorem & ſimilium eodem excellentiæ perduci poſſe. Modus eius eſt, vt manum ſat euidenter calefaciat; nondum tamen adurat. Tertius eſt cum læſione manifeſta per ſe ſine vnguento aut medicamine adhibitæ manus. Vocatur ignis arenæ tum quod hæc plærunq; interueniat, tum quod ſolidiore ſubſtantia calorem concipiat adurentiorem. Loco arenæ ſcobs

metallorum in vſum venit. Vaſa luto ſunt obducenda, niſi quis ſatis firma habeat, aut induſtriè per gradus progredi poſſit. Vlſtadius ait hûc eſſe ſummum in operibus chymicis, quæ geneſin artificioſam ſpectant. Gradus enim quartus corruptiuus potius eſt propter exceſſum caloris, & in apparatu quorundam fixione vltima examine & aliis remanſit. Multorum calces fiunt illo gradu. Quod ſi non φύσιν eſſentiarum ſpectes, ſed omne opus chymicum; non poteſt excludi quartus. Omnino in aquarũ fortium ſpirituumq́; extractione ex mineralibus fortiter cõmiſtis, neceſſariꝰ eſt ignis vltimus, iſq́; interdũ etiã pluriũ dierũ. Magis itaq; reſpexerit Vlſtadius ad vini eſſentiã & vegetalia, aſtraq́; illi affigẽda. Ignis potẽtialis eſt quidẽ certarum operationũ, & ea peragit quæ vel ab actuali omnino nõ, vel nõ tam benè poterant perfici; interdũ tamẽ etiã præſtat eadẽ, vt & in chirurgia notũ eſt. Auri ſulphur ab igni elementari produci poſſe vix crediderim, cum eliciatur ab igni Gehẽnæ; at ab vtroq; erubeſcit; ſtibiũ calcinatur ab vtroq; & ſic in aliis. Admittit & hìc gradus quoſdã præterquã quod magnam varietatẽ habeat in generib. certis ſecundum συγκρασίαν καὶ ἰδιοπάθειαν, de quib. ſi diſſerẽdum copioſius eſſet, in quantum pondus euaderet oratio? Requiritur in omni actus aliquis præexiſtens, homogeneus. Nihil enim ſeipſum de potentia

potentia in actũ ducit. Multum autẽ refert
quomodo actuetur. Id autẽ ita diſputãt phi-
loſophi, & chymici in opere experiuntur.
Sed ego tibi problema propono, quod igne
ingenii tui diſſoluas, & quintam ex eo natu-
ram elicias. Cum aqua chryſolytos ſeu regia
affundit' hydrargyro, aut ſtanno, aliive me-
tallo, imo & marmori, perinde vt aceto can-
crorum lapilli aut aſtroites lapis immiſſus;
ſtatim ex ſe ipſa calorem concipit ferueſcit-
que adeo vt ſi manu teneas vitrum non pa-
rum caloris percipias, idque etiam cum
vtrumque actu eſt frigidum. Si ignis in po-
tentia fuiſſet, abſque caloris energia non
apparuiſſet, perinde vt axioma philoſophi-
cum ſonat. Iam autem ne vllo quidem ca-
lore feruet. Sed neque actu calidum eſt vl-
lum. Ex hypotheſi enim frigidum ſumitur,
δυνάμει θερμόν. Qui fit ergo vt tantum inca-
leſcant mutuo amplexu? Dices ſubtilita-
tem ſubſtantiæ actum habere. Hac cum
ſe inſinuat liquor, ſoluitur compages inque
ſpiritum & calcẽ cõminuitur corpus. Hoc
ſine attritu fieri nequit. Attritus & rarefa-
ctio fomes caloris eſt. Et hinc quo diutius
in ſe agunt, eo calidior fit materia, vſque ad
ſtatum. Valdè probabile hoc reſponſum
eſt. At ego tibi oppono naturam aceti af-
fuſi pulueri lapillorum cancri. Si iſta cauſa
eſſet; cur non & hæc incaleſcunt? In albeſto
poteras *ἀντιπερίστασιν* primam indicare dicẽs
ex ſu-

ex frigidæ natura intrò refugere & congregari calorem, qui mox eluctatus vires oſtẽtet: eſſe autẽ in calce viua ſeminariũ quoddam eius, & ſpiritum diſperſum, qui non ſentiatur actu propter imbecillitatem ex diſgregatione: in vnione à contrario apparere: qui ſpiritus vbi vetuſtate calcis expirauerit, ſimul ſuſtulerit caloris fomitem, vnde in vetere calce non euenit idem. Dem tibi iſtud; at non eſt ſimilis ratio in metallis & aqua regia. An etiam ob attritum exeuntium ſpirituum incaleſcit lapis cancrorum & ſimilia, ſed propter aceti frigiditatẽ maiorem non ita percipitur? Itaque actum omnino præexiſtere neceſſe eſt, ſiue is ſit ſubſtantia homogeneus, ſiue effectu, quo ſtatim gigni ſubſtantia queat. Philoſophus certè concludit argutè rarefactionem, attritumq́ue & motum corporum inter ſe eſſe caloris cauſam procreatricem. Quæ cauſa attritum facit; ea item calorem prouocat, idq́ue in valdè actiuis tanta peragitur celeritate, vt momenta progreſſuum diſtingui nequeant, ſed ſtatim vt vnum operatur, alterum ſimul videtur exiſtere, ſicut globi bombardarum & fulmina ſimul ſentiri & ferire. Differentia autem graduum eſt ex ſubtilitate agentis maiore minoreq́ue. Et patientis procliuitate & ſpirituum fœcunditate. Quæ ignauius ob angulos obtuſiores agunt; effectum in calore aſſequuntur imbe-

imbecillius. Sed hæc ad phyſicos. Gradus ignium potentialium in aquis fortibus inde æſtimes, quod quædam ſit quæ nec argentum nec aurum corrodit; quædam quæ omnia pręter aurum, quædam etiam aurum. Spiritu tartari putant ſulphur diſtingui in colorem & corpus, hoc eſt tincturam extrahi. Hoc non aſſequaris aqua forti. Spiritus vini non tangit aurum, vt nec aqua mellis. At ſi exaſperaueris ſale fecularum, non parcit. Itaque gradus diuerſos etiam in eodem animaduertas. Mirum eſt qui acetum radicatum, ſuccus berberum & limoniorum, quin & ſpiritus vitrioli, quæ non verentur autores natura frigida pronunciare, idem poſſint. An confugiendum ad illud Galenicum eſt, quod natura confuderit in his igneas partes cum aqueis, quæ cum ſint ſubtiles, adiuuent illas in penetratione? Spiritum vitrioli frigidum cenſere neſcio an ſit magnæ temeritatis, niſi velis etiam oleum ſulphuris ſeu potius aquam ex ſpiritu coagulatam pari cenſu habere, quod qui putat, non eſt mentis compos. Poſſumus autem illum ſulphuris ſpiritum tam mitem reddere vt nihil violentius, nec aliud ſapiat quam depuratum limoniorum ſuccum aut acorem citri, quanquam niger ille ex impuro ſulphure elicitus, ſi infuderis manui, addiderisque parum ſpiritus vitrioli aut tartari, eam vrat quam ignis. Sed & hęc exorbitant.

Poten-

Potentialibus annumeres vim lixiuiorum, quæ capitella vocantur, & virtute multum differunt pro vt plus vel minus ignearum vehunt partium. Sunt & globi ſaponum aliique ex igneorum contemperatione facti adeo mirificè, vt quidam in aqua ardeant. Sed quid refert ignes ſcire multos niſi vtendi induſtriâ valeas? In hac tantum eſt momenti, vt etiam in inopia plurium, inuenias conſilium, ſicut cui ſol deeſt, is confugiet ad fornacem; cui ligna & prunæ, is fimum compellabit; cui non eſt fimus is vtetur flamma molli, & ſic accommodabit etiam ferè quoduis agens cuilibet patienti. Succedit ingenium naturæ, & hanc non raro exuperat, quo pacto Ægyptii defectum gallinarum compenſant clibano, & cui deſunt ligna, is caleſcit à ceſpite pingui. Vtitur autem induſtrius artifex ad ignem benè admouendum etiam locorum & temporum commoditatibus; vtitur foci fornacumque & materiæ ſeu alimentorum, quin & vaſorum dexteritate ad magnum, paruum aut mediocrem calorem producendum. Locus concluſus, & ab aëris iactatione tutus calorem & multiplicat & ſeruat fideliter. Loquor autem de ſitu ergaſterii. Fumis tamen ſuus eſt relinquendus meatus. In aperto, vix moderandi ignis poteſtas eſt propter aëris crebram mutationem, & allapſum copioſioré. Itaq; hic plerunq; flamma

ma eſt violẽtior. Nõ deeſt tamẽ conſiliũ ingenio, vbi deeſt cõmodior. In lapide monẽt artifices, vt taberna Vulcania è cõſpectu acceſſuq; multitudinis remota ſit. Sed hoc nihil ad ignem. Temporum cõſtitutiones obſeruãtur potiſſimũ ratione caloris, frigoris, flatuum & trãquillitatis. Cœlum ſuper igni conſulere, ineptum eſt, niſi ſole vti velis qui quò propior eſt noſtro vertici, eò rectiores & fortiores deiicit radios. Hyemis externũ frigus, niſi à loci ſitu remedium petas, & inſtrumentorum aptitudine, fortiorẽ; æſtatis calor debiliorẽ poſcit flammam, ſi eam non ad opus, ſed ad ignis conditionem referas. Nõ abſurdè hybernum ergaſtulum ſubterraneum facias; æſtiuum apogæum. Flatus inæqualitatem pariunt. Hæc itaq; tempora ſunt incommodiora, niſi occurras arte. Fornax non contẽmnẽdam requirit ſolertiam. Si ea benè fuerit diſpoſita; opus procedit rectè. Sin minus; inquinas rem, nõ coquis. Eſt autem certarum operationum certa forma. Aliter cõcinnatur reuerberatoria, aliter deſtillatoria, deſcenſoria & ſic in aliis. Oẽs autẽ reſpiciunt cõmoditatẽ operis ſui, cogẽte neceſſitate aliena fornace alienũ interdum peragit opus; ſed attendendũ eſt diligenter. Non quiduis vbiq; fit benè. Non deſunt tamen qui pręter rem furnis luxuriãt. Ad ignẽ quod attinet; qui lucida eſt, ſeu multis foraminibus peruia adhibita materia validum

calorem

calorem præſtat cæteris reſpondentibus. Si etiam folles intendas, calorem augeas; ſi remittas, minuas. Fornax clauſa in totum; intermori flammam cogit. Aliquod ſemper ſpiraculum relinqui neceſſe eſt, ne ſuffocetur ignis, & alimenti parte deſtitutus marceſcat. Gradus quoque in poteſtate benè conſtructi furni ſunt materia eadem. Nam conis & valuulis exemtilibus tubuli & aditus aëris plus minus pateſcunt. Vnde ſubrepit aër intenditurque aut minuitur ſpiritus pro libitu artificis. Eſt aliquid momenti etiam in ſitu eius ſecundum regiones mundi, aut prouinciæ. Eſt aliquid in laterum, tecti & pauimenti ſpiſſitudine, procliuitate, tenuitate & ſimilibus. Spiſſa latera calorem fidelius continent. Itaque hyeme ſolet furnꝰ craſſius oblini: æſtate tenuius. Amplitudo pro pabulo & quantitate ignis eſt. Vaſta fornax non impletur iuſto calore niſi materia ſit grandis. Sed & tũc operis eſt habenda ratio. Si iuſto anguſtior eſt, vaſa vero magna; non aſſequeris optatum feliciter. Fornax teres, & leui cemento intus probè inducta, promouet vim ignis, & in centrum cogit: Anguloſa non coercet. Attende & catini ſitum. Vidi quæ illum penè in medium fornacis vſque ad oſtium propendentem habebat; vidi cuius vaſtitas penè implebat latera. Vterq; ſitus eſt vitioſus. Non enim operari rectè calor poteſt. Qui furni

cratem

cratem habent, ſi hæc eſt rectè perforata; operi conducit. Foramina grandiora, aut anguſtiora impedimento ſunt εὐτυχίᾳ. Cernimus hoc in naturæ item conatu. Ego profecto, cur non perueniat illa ad vltimum metallorum vbique, plurimum deberi ergaſterio puto, & natiuæ fornaci, quorum vitium calorem & vim agentem deprauat, nec materiæ prodeſt, cuius motum intercipit, ſpiritusque fœcundos citius elabi ſinit, quam optimum formarint. Qui plumbum candidum Slaccevaldæ fodiunt, arte compenſant naturæ defectus, & non raro obiectis muris calorem miniſtrantem coercent. Sed iſta mitto. In furnulo ſapientum peculiare quid ad vaporoſi ignis artificium ſpectatur. Cognoſces eius rationem ex Rupe ſciſſa. Circa pedem cinerarium eſt. Huic incumbit crates mediocriter in medio ſaltem perforata. Poſt hanc eſt focus quantus pro opere, quod definitur vncia, ſatis eſt, quiq; hyeme & æſtate poſſit ſecundum laterum ſpiſſitudinem mutari. Focum terminat lamina vnius in cẽtro foraminis, quod interuentu regularum laxatur, aut ſtipatur, prout opus eſt calore multo vel pauco. Ibi eſt ergaſterion continens arcanorum tripodem, cuius crura ſunt vincta lamina, vt recta ollá verberet flamma. Tripodi innititur ouum ſectũ pro catino cinerum. Hoc intus claudit violam ſeu ouum philoſophorum cum

vitello & albumine. Summus locus eſt cœlum cum foramine exploratorio. Faciunt omnia ad calorem ſuppeditandũ iuſte. Nam in caloris adminiſtratione tota penè ars cõſiſtit. Eſt in fornacum conſtructione etiam vigilantiæ, & ſomnolentiæ argumentum. Qui peruigilare, aut miniſtris talibus vti nequeunt, furnos acediæ confinxerunt, adiecta turri, vel canali ad latus foci. Replent hũc carbonibus, in ſummo arena vel ferreo tegumento ſtratis, vt in locũ abſumptorum paulatim deferãtur. In furno philoſophico ignis luminum, vel candelarum aut lampadum adhibetur, ſuccurritq; pigris. Sed ad ignium pabula. Agnouit pridem etiam Macrobius non eundem ignem caloremve ab omni procedere alimẽto. Agnoſcũt & Halenſes mei, quibus durabilior & acrior ſal efficitur denſorum lignorũ præſidio quam ſtipularum. Chymicus conſcius diuerſitatis materiarum mollem flammam materia leui paſcet; acrem robuſta & denſa. Conſtantius ardent carbones querni & fagini quam picei. Sed nõ ſoliditas tantũ & raritas reſpicienda eſt; humiditas & ſiccitas multitudo & paucitas & ſimilia non ſunt omittenda. Flagrans ignis lucidè, vehemens eſt. Itaq; in reuerberio potiſſimum adhibetur, vt in fornacibus vitrariis. Qui lenẽ calorem deſiderãt, ſi nihil intercedit inter vas & focum raras paucasq; adhibent prunas, quales putria & ſa-

& ſalices præbent; aut à militibus mutuo accipiunt ſtuppas intortas:aut candelas tenues accendunt:aut viuas prunas ſubiiciunt iuniperorum cineri:aut lignorum xeſmata vrunt. Aliquibus ad momentanea opera aqua ardens adhibetur. Nonnulli exiccatos fimos more ſerramentorum pedetentim ſerpente flamma inſtruunt. Saxonum hoc eſt funes ſtramineos ollæ circumducere, & feruenti cineri admouere. Paulatim enim inflammantur,& aſſationes perficiũt. Meridionales ad camelinum coquunt. Nõnullis operibus ſol, & tepor fornacis, balnei,fimi. ſatis eſt. Sarmentorum manipuli niſi valdè laborioſo non conducũt,ſicut & arbuſta, & folia,ferulæ,putamina nucum, Iuli, fructus herbæq; exiccatæ. Fungi arborum tum ſolidi tum rari, modo ſint ſicci, non ſunt reiiciendi in certis operibus. Ita lithanthraces, terræ pingues, & ceſpites, quin & recrementa eliquatæ picis,ſulphura aſphaltũ,naphtha, reſinę,cortices pingues aliaque multa cremia pro operum & locorum naturâ valent. Solent metallici flammã patentem eminentemq; in furnis non tectis cõpeſcere aqua affuſa. Non negliget hanc artis commoditatẽ magiſter.Plinius & Dioſcorides,imò & vulgares deſtillatores indicãt plures modos ignis vaporoſi, & ſtufarũ. Inde quoq; ſuam augebit ſupellectilẽ chymicus. Olea & ſimilia

plærunque cum ellychnio vſurpantur. Fiunt ad lampades etiam miſturæ ex reſina ſœbo, oleo, butyro & ſimilibus. Et quis recenſeat omnia? In prunis elaboratur frequentius vſitatiusque. Ignes potentiales non minus materia variant. Calx viua aqua fortis ex vitriolo, ſale, alumine, cinabari, ærugine, hydrargyro & ſimilibus; ſpiritus ſalis, vitrioli, ſulphuris, &c. coagula lixiuiorum, lixiuia ipſa, euphorbium, cantharides, aqua mellis, ſpiritus fecularum vini, aqua ardens exaſperata, antimonii oleum, calces vſtæ, terræ vſtæ & in mineralium genere plura alia; acetum item radicatum, ſuccus ex limoniis & berberibus extractus exaſperatusque proprio ſale; muria, borax, vrinæ, aquæ ſtygiæ naturales, cadmioſæ, chalcanthoſæ, ros & ſucci acrium, vt flammulæ, ramunculi minoris, vitis nigræ; gummi anacordiorum, bilioſi humores animalium & ſimilia penè innumera, in ignium potentialium habentur cenſu, quanquam non omnia vſurpentur à chymicis. Vt finem tandem faciam, poſtquam Theoria mediocriter eſt explicata, quæſo faciamus artis periculum non quidem in praxi, ſed ſaltem magiſtrorum interpretatione. Quæro ex te quo ignis regimine poſſim aſſequi id quod turba dicit; arcanum ne fumiget, cauete: quid item ſit ignem immittere in aquā frigidam; & quid

ſibi

ſibi velit Bernhardus cum præcipit: Fac ignem vaporoſum, blandum, perpetuò digerentem, non violentum ſed ſubtilem, perficientem, lucidum, occluſum, repreſſum, incombuſtilem. Videntur mihi hæc nec de eodem gradu nec tempore accipienda. An interpres eſt Roſarius cum ſcribit: Ignis in ſolutione ſemper erit lenis; in ſublimatione mediocris, in coagulatione temperatus, in dealbatione continuus, in rubificatione fortis? Ignis enim Gallinæ excludit pullum; fortis ex albo facit rubeum, &c. vide ne per te aberrem. Vale & me ama.

EPIST. XXIII. DE ORnatu & ſupellectili chymica.

AD IOANMEM BIRDVMPHELIVM, Chymiæ & Medicinæ Studioſum, Philoſ. M.

QVOD vero te ad chymian agit deſiderium Iohannes? Video enim te alacriter admodum ad eam ferri, poſtquam te in Amvvaldina inueſtiganda tam ſolicitum indicaſti. Non quidem ineptè ſapis: Quem enim non moueat tam ſuauis ſummæ dignitatis καὶ πληροφορίας ad ſpem plenam odor? Veruntamen iuſſerim te animaduertere, quæ ſit prouinciæ huius, quam ambis, conditio, quæque adeſſe chymico oporteat, ſi non ignauè velit in ſua arte verſari. Scribit Philoſophus ἐν θαυμασίοις, circa Philippos

Macedoniæ metalla reperta eieciſſe fruſtra χνσίζοντα & aurum producentia: apud Pœoniam itẽ cum factæ ſint pluuiæ continuæ, colliquatã terram aurũ aperuiſſe ἄπυρον, peneq; deauraſſe ſolum: & in Bactris flumen Ozum auri plures glebas deuexiſſe, ſicut & in Iberia flumen Theodorum. Huiuſmodi terrarum & fluuiorũ chymicũ poſſeſſorem eſſe oportet, vt poſſit vel ipſo Crœſo & Xerxe liberalius expendere opes, & pythiũ lydum vincere. Nec quouis ille tuguriolo eſt cõtentus. Vraniburgum Daniæ, q̃ magnificè cõmodeq; ſit extructum noſti. Tales requirit ædes. Ad aquilonẽ & auſtrum poſito ὑεϱνοσκοπείῳ ſydera cõtemplatur. Ad ortum & occaſum locat Muſæũ & conuictorium. Eſt illi hortus ampliſſimus, omniq; plantarum varietate inſtructiſſimus. Eſt τροφεῖον omnis generis animaliũ. Nõ deſunt ęſtiuaria, non vaporaria, nõ eſſentiarũ apothecæ, non cellæ ſubterraneæ. Cum. n. modo ſicco aëre, modo humido egeat; copia vtriusq; non debet eſſe deſtitutus. Poſſit idẽ locus & puteos & ciſternas excipiendę pluuię, & viuarium piſcinamq;, & Rhenum pręterlabi foret ſatius. Huius. n. commoditate & mercimonia vteret̃ varia. In prædiis ſyluã ſpacioſam, pratum, arua & vineã illi optauerim, vnà cum magna ſtercoris copia, ne cũ repor fimi poſtulatur, foris ſit accerſendum. Ergaſteriũ eius & carbonarium lignariumq; nõ

tantum

tantum amplum eſſe oportet, ſed & commodo loco inferiorum ædium ad fluuium poſitum, itaq; concluſum, vt ad id non niſi per multas ambages & veſtibula munitiſſima ſit aditus. Intus eſt ſupellex chymica, cõſtans variis & ſpaciis & inſtrumentis. Hic figulina erit; ibi vitraria, vt ad libitum artificis præſto ſint vaſa. Erit alibi calcaria, quandoquidem hæc quoque ad perfectionem artis pertinet. Quanta vero turba fornacum partim perpetuarum, partim momentanearum extruenda eſt? His cum inſeruiat lithotomia & lateritia, arteſq; aliæ, quam felix foret, ſi omnia ſuo incluſa haberet dominio, poſſetque in mancipia ius obtinere ſummum? Tota metallurgia meritò ad chymicum migraret. Non poſſum tibi ſingula deſcribere, niſi integrum volumen ſit meditandum. Catalogũ accipe. Fornax hic erit toſtoria, non tantum ea qua metalla iam eliquata torrét, ſed & qua venæ ipſæ fiunt tractabiles, quã cratem aliqui vocát, quę quomodo ſint apparatæ; diſces apud metallurgos. Eſt alia liquatoria, cuius tamẽ facies diuerſa in venis & metallis, variatq; penè pro artificum induſtria. Qua venæ eliquantur plerunq; in ſummo aperta eſt, follibuſque inflatur & in anteriore parte per oculum in ſubiectum catinum effundit aquam ignitam. Qua vero metalla, ea variat. καθό-λαν inſtructa eſt catino ad metalli fluxum

recipiendũ modo profundiore, modo planiore. Carbones aut ſupponũtur, aut affundũtur, ſicut videre eſt in eliquãdo plumbo, in excoquendo ad purum cupro; in purificando argento, vbi tamen ligna adhibentur, in ſegregando cupro & argento, in aurichalco conficiendo & aliis. Germani ferè diſtinguunt certis vocabulis, nominantes Röſtofen, Schmeltzofen/ Treibherdt/ Seigerherdt, Gahrofen/etc. Chymici tamen proprię ſunt fornaces deſtillatoria, ſublimatoria, deſcenſoria, reuerberatoria, quarum hęc omnium liquatoriarum, atq; etiam fumuli docimaſtici vim complectitur, quanquam vario vultu ſoleat concinnari. Ingenioſus chymicus artem exercet in vaſorum & inſtrumẽtorum paucitate pro neceſſitate rerum. Deſtillatoria congruit balneis, & cineribus & arenis mutato vel catino, vel ſaltem materia. Per eandem licet etiam ſublimare. Paulò variat cũ per retortam deſtillandum eſt, quanquam hoc fiat interdum ſine catillo, interdum eodem adhibito. In omnibus eſt pauimentum & capſula cinerum, quæ finitur crate, quam ſequitur focus, quem terminat catinus, aut ipſum vas nudũ pro vt neceſſitas exigit. Summa pars mobilis fieri poteſt pro vſu vario. Focus & cinerariũ conſtantia ſunt, niſi amplitudo ſit mutanda. Adiectæ ſunt valuulæ ſuæ, oſtiola & ſpiracula. Hinc coniicis chymicum debere

item

item partem quandam Lybiæ arenoſæ obtinere, & Ætnææ planiciei, quo ſuppetant illi arenæ & cineres. Sed & Vulcanum demerebitur Neptunumque. Vt non deſint ſcobes ferratæ, & balneæ. Furnus deſcenſorius furſum admittit carbones, inq; medio vas figulinum continet, vnde promittitur canalis in receptaculum. Qui rudius eum apparant, ollis vtuntur ſeu in ſe conuerſis iunctisque per orificia interueniente crate; ſeu vnius pertuſo foraminibusque peruio fundo inſerto in alterius inhumati orificiũ, operculo verò integente. Reuerberatoria fornax vel cõcamerata eſt, ita vt in ſe reuertatur flamma, quam ſpeciẽ etiam piſtorum clibani & metallicorum toſtoriæ fornaces repræſentãt, quin & illa qua minij vena excoquitur; vel turrita, ita vt collum ſit ſtrictius, quo in anguſtum compulſa flamma vniatur; in ſummo relicta quaſi crena gemina, quo ſpiritus exeant. Hac vtimur in calcinando, quin & deſtillãdo per retortam; poteſtque tunc ita concinnari, vt duo vel plura vaſa admittat ſimul; vtimur & in eliquãdo, probando & aliis. Vocatur fornax aliquando etiam fimus. Sed potentiam fornacis tepidæ aut balnei ſaltem habet, eſtq; vel fouea in humum depreſſa, ſtrataq; calce viua & fimo equino vel ſimili recente, vel canalis amplior ex aſſeribus aut ſimili materia, repræſentãs foueam. Nec ego balneum

rectè dixerim fornacem, quanquã fornacis auxilio poſſit procurari. Sed nõ deſunt plurimi ciuſmodi, quos expreſſos apud alios inuenies artifices. Furnulus probatorius, imitatur penè liquatoriũ metallurgorũ, niſi quod catillum peculiarẽ exemptilemq́; habeat, & tegulã qua defenditur à prunis. Nihil dico de camino orichalchi, in quo ollæ ſuſtinent catinorum vicẽ. Sunt & plurima nõ tantum apparandarũ fornacum præcepta, ſed & in opere regendarũ mutandarũque, claudendarũ, aperiẽdarum & aliâs adminiſtrãdarum. Sed ne me fornacariã profiteri putes, omitto illa. Athannoris mentio nõ erat poſthabenda. Sed ego te Iohannem de Rupe ſciſſa adire iubeo. Ille planè Geometricã eius dat deſcriptionẽ. In aliis quoq; non deſunt quos cõſulas, in quibus eſt Geberus, Vlſtadius, Dornæus, Lonicerus, pluresq́; alij. Eſt & aliqua catinorum diſciplina. Non enim fiũt ſimiliter vbiq;. Ollæ apodes ex luto vel metallis quibus cõtinẽtur cineres, & ſimilia, inſtar cacaborũ aut ahenorũ, catini vocantur; ſi parui ſunt, catilli, vulgò copellæ, quæ peculiaris ſunt formæ in probatoria, & inſternũtur oſſium combuſtorũ alioq́; cinere; vnde catillus cinereus. Hi catilli idem pene ſunt, quod focus cinereus in ſegregãdo argento. Hinc δοκιμασία talis, vocari ſolet cineritium, & copella, interdum quartijter prob. niſi fallor. Catini nuncupãtur etiam

etiam triquetræ ollæ aurifabrorũ, quæ vulgò tigilla, ſeu tigella, & cruſibula. Vocauerim ita conoides quoq; vaſculũ ex aurichalco fuſorium, qđ Gießbuckel dicũt. Sed quã numeroſa ſeges eſt materiã artis cõtinentiũ, recipiẽtiumq; ? Aludelem Arabes (opinor) appellant cucurbitã luteam ſublimatoriam proceri colli ex fundo modo plano, modo circulari producti. Eius operculũ eſt alembicus cęcus, quanquã aliquando in ſummo foramen relinquatur exiguum, quo ſit ſubtilibus ſpiritibus fuga. Cucurbita deſtillatoria ratione amplitudinis eſt varia. Cucurbitula ſeparatoria tibi nota eſt. Matulã vocãt eam quæ ampla eſt, vt manus inſeri poſſit, & materia abſq; vaſis lęſione eximi. Alię maiores ſeparatoriã, vel rectæ ſunt, vel incuruæ; & hæ nominantur botiæ, vel retortæ, vel cornua muſæ. Rectæ operculũ nuncupatur alembicus ſeu galea roſtrata. Fiunt hæ ex vitro plurimum. Aliquando verò etiam ex metallis, & terra figulina tenaci. Sunt & modo ſimplæ, modo duplæ. Operculum ſeu alembicus interdum ex eadem eſt materia, interdum ex diuerſã; ſicut nec perpetuo eſt eiuſdem formæ, cum nũc campanam roſtratam referat, nunc craneum. Roſtrum ipſum canalis eſt curtior, prolixior pro rei neceſſitate. Interdum additamentum habet ex ſerpentinis vocatis ſiue in gyrum ductis ſiue multiplici lapſu

vltr-

vltro citroque extentis,&iam per cupas reſrigeratorias tendentibus iam in vẽtres immiſſis. Alembicus item veſtitur interdum veſica vel alio vaſculo refrigeratorio, interdum pannis madidis inducitur, interdum lutatur, interdum nudus relinquitur. Inducuntur & cucurbitæ ipſæ luto, quanquam non ſemper. Sed nec incruſtantur tantum; conglutinantur etiam circa commiſſuras, & ſicubi rimas agunt. Cornu muſæ non opus habet operculo. Nam committitur ſtatim receptaculo, ſuſtinetq; collum eius vicem roſtri & galeæ. Receptacula plerunq; ſunt vitrea variæ formæ. Quædam ampullæ ſunt colli breuis, aut prolixi; Quædam cucurbitulæ oblongæ; quædam incruſtatæ, quædam pannis tectæ, quædam nudæ. Pro vitreis ſeruiunt & figulinæ. Sed hic nõ poſſunt benè dignoſci liquorum mutationes. Numerus recipiẽtium variat interdum vel in vno opere. Qui enim diuerſas eſſentias repetito opere ſegregare volunt; diuerſis temporibus egredientes mutatis excipiunt vaſis. Itaque tunc ſimul attendendum erit, vt reclufio ſit artificioſa, & ne à grauibus ſpiritibus violentur nares, quod facilè fieri vel ad animi deliquium poteſt in mineralibus acribus, ſicut ſibi à Paracelſo eueniſſe aliquando teſtatur Oporinus. Eſt autẽ tunc inſtituenda permutatio, cum alio tempore exit phlegma, alio humor citrinus, alio rubicun-

bicundus, quæ diuerſa elementa vocant. Quidam duo receptacula eodem committunt collo, ita vt paulo incuruatum ſit ſuperius, cui per foramen colli iungitur ſub ſtatque inferius rectum & breuius. Videre eſt illo excipi vaporem ſeu ſpiritū; hoc liquorem iam in alembico coagulatum. Retortæ vſus potiſſimum eſt in his quæ non facilè aſcendunt, quanquam non perpetuo. Nam & hydrargyros licet grauis valde ſit in ſublime agitur, & pulueres ſicci terrei vi ignium in altum compelluntur: Et non raro vtroq; inſtrumento fiunt eadem. Sales minerales, alumina, chalcanthum & ſimilia vbi reuerberij igni opus eſt, per retortam vſitatè aguntur, ſicut & oleum antimonij, ſulphuris & ſimilia. Campana non tantum alembici officio fungitur, ſed & ſeorſim ſuum habet vſum in ſpiritu ſulphuris excipiendo, & hydrargyro ex vena ſua eliciendo: quanquam abuti poſſimus etiam olla, & galea. Tunc autem receptaculum eſt paropſis, niſi roſtrata ſit & laciniata ſeu imbricata canaliculatáve in margine. In medio paropſidis vaſculum ponitur figulinum cum ſulphure incenſo; vel cum vena hydrargyri, alio vaſe continente prunas. Ad extremitates debet aëri ingreſſus relinqui. Loco paropſidis adhibetur tabula canaliculata. In hoc opere attendendum eſt vt flamma ſurgat, non autem reciprocet reflectaturq;. Coquit chymicus

micus interdum in ouo,&reſoluit.Intellige verò tum ouum philoſophicũ in opere lapidis; tum phyſicum cuius vſus eſt in oleis quibuſdã per ſolutioné faciendis,nec quicquã eſt aliud quã albumen dimidiatum,vbi induruit, in cuius fouea tãquam acetabulo liqueſcit myrrha vel ſimile quid.Oui philoſophici rationé diſces ex Rupeſciſſa. Munimẽtum eius eſt goſſypium, & globus quernus per mediũ ſectus & cõplicatilis: & hoc in tepore. Vbi ignis validior eſt, cinis pro goſſypio & figulina teſta ꝓ quercu petitur. Oualis figura obſeruatur interdum etiam in pelicanis circulatoriis cum multiplici gyro; ſed & globus idem præſtat, variis conſtans ſphæris oculatis, inſtar Polyphemi. Non in hortis tantum creſcunt violę,nareſq; oblectant. Inter vaſa chymica nõ poſtremas habet. Eſt autem ampulla cum prolixo anguſtoq; collo, quod cũ hermeticè ſtringitur, teſtam oui vitreã relinquit. Dilatatur tamẽ aliquando colli ſummitas, vt impoſito alẽbico exugi liquor poſſit,cũ nos tædet tranſfundere materiam,aut hoc non ſat cõmodè peragi poteſt. Quantitas harum interdum vix iuglandem aſſequitur; interdum maior eſt,pro materiæ multitudine. Collum ideo eſt procerum, vt tum ſpiritibus fuga ſit impedita, tum ſtringi recludiq; ſæpius poſſit; quin & eminere ex fimo altius, & agitari. Crebro frangenda ſunt vitrea. Itaque numeroſa

meroſa eſſe oportet. Pelicanus vas circulatorium eſt cum reflexo collo vtrinque ita vt fiſtula promineat ſurſum; & appareat inſtar anſatæ obbæ. A picti pelicani pectus ſuum aperientis ſimilitudine dictum volunt. Veteres adeo mirabile vas deſcripſerunt, vt pingi potius, quam fingi poſſit. Ideoque officium eius demandatum eſt, aliis factu cõmodioribus. Quidam applicant retortam retortæ, vocantq; botiam cõtra botiã; quidam matulæ imponunt cucurbitam; alij ſimile quoddã vas confingunt illi, quo muſcę excipiuntur; alij tres veluti globos coaptãt, ita vt cõmuni via intus iungantur. Mira eſt ſolertia. Quo putrefiunt digerunturq́, materiæ, vas inſtar oui oblongi eſt, aut cacabi quo aqua in vaporariis incaleſcit; addita tamen fiſtula. Sed non deſunt etiam aliæ formæ, quæ paſſim extant depictæ. Nec ſine induſtria cucurbitæ deſtillatoriæ & matulę impoſito cęco operculo. Inſeruire etiã putrefactioni poſſunt, multitudinẽ vaſorũ fugiẽte chymico perito. Si mihi aliquid iuris in chymia eſſet, monerẽ tyrones ex Platonica cõſuetudine, vt ex ſpecie operationis fineq́; & vſu perito colligerẽt formam internã, externę facile illi adaptantur. Matrix vocata ad circulandum, & putrefaciendum commoda eſt. Eſt autẽ vitrum triquetrum cum foramine, quantum mihi cõſtat. Rectificatio non vtitur vaſis nouis, deſtillatoriis, circulato-

latoriis, & ampullis reſeruatoriis contenta. Apud Hieronymum Rubeum deſcribitur hydrargyri in aquam ſoluendi vaſorum cõiugatio & ſeries per fornacem tranſiens, deſinensq́ue vtrinque foris initio in fundibulum, fine in retortam recipientem. Vaſa intermedia collo, ventre & cauda conſtant, quibus ſibi mutuo inſeruntur. Idem autor calcinandi ſtibium & flores colligendi ſingulare exhibet artificium. Fit figulinum dolij inſtar, cuius cauda deſinit in cupam; caput verò follem inſertum præ ſe fert. Id vbi poſitum in ignem cum ſtibio eſt, iamq́; aliquid calcis ſeu florum extitit; perflatur folle, agunturq́ue in cupam flores. Hi excipiũtur etiam commode triplici olla, vel galea figulina aut ferrea accommodatis ſibi mutuo, & in medio perforatis. Sed in ſummo paruum foramen eſt relinquendum vt trãſeant ſpiritus ſubtiliſſimi. Alioquin fauilla reflectitur. Hoc puto eſſe ſimulacrum ſublimationis per alembicos multos. Imponitur autem incumbitq́; priori poſterior. Hęc præcipua ſunt chymici organa. Reliqua turba penè ſine numero & honore eſt. Cõchis vtitur ad eluendum, filtrandumq́ue, & ſedimenta. Sunt & pocula ſeu calices & patinæ ollæq́ue ad recipiendum deſtillantia & alios vſus. Trullarum officium indicat forma: ſicut & operculorum, doliorum, pyxidum, vitrorũ, lebetum & eiuſmodi. Pyr-

agra

agra & forceps ſe produnt nomine. Tu col-
lige ſimiliter de cochlearibus, follibus, tri-
pode, ſpatulis, ignitabulis, fomite, filis ſul-
phuratis, infundibulis (quanquam hæc non
tantum ad infundẽdum, ſed & ſeparandum
vſurpantur) ſiphunculis, circulis, candelis,
malleis, ſilicibus, calce, arena, lima, epiſto-
miis, coriis, veſicis, cucullis, bacillis ferreis,
ſcopis, flabellis, mortariis, piſtillis, libellis,
põderibus, radicula, pãnis, manica, laciniis,
charta, cribro, vinculis, tabulis marmoreis,
& vitreis, canalibus, craticulis, ſcoriis, cupis,
& quis omnia cõmemoret? Quicqd enim
culina, pharmacopœa, metallurgia & ſimi-
les artes ſibi vẽdicant, idẽ penè omne etiam
chymia. Nã & præfurniis vtitur & caminis
quibus excipit fugaces partes. Ego tibi optẽ
crumenã Fortunati & pileũ. Nam & his eſt
opus. Quidã ex magia & cabala aſciſcũt cha-
racteres, literas, imagines; ex aſtrologia ſtel-
las, &c. Sed ego homini pio ſeduloq; orãti
& circũſpecto iſtis nõ opus eſſe iudico, ſicut
nec genio Paracelſico & arbatelico eget is,
qui Deum habet propitium. Sed quinã ſunt
chymici mores, qui veſtitus? Noſti quo pa-
cto Stoici ſuũ deſcribant ſapiẽtem, quod ſi
nunquam cõmoueatur affectibus, & vultũ
habeat ad omnẽ fortunam ſaxeũ, qui poſſit
ſemp βλέπειν πλατῶνας & ſpirare ignem. Lõgè
rigidiorẽ aliqui requirunt chymicũ, ne dicã
pollutiorem. Quaſi commertia hominum

P eiu-

abſtinet, quandocunque eſt oportunum. Mentiuntur qui dicunt chymian aduerſari ciuilitati & cònſuetudìni publicæ. An opulentus chymicus ſit imprudentior opifice vel viliſſimo, qui ſordida opera per famulos, aut cooperarios adminiſtrat, ipſe verò ſaltem modum docet? Opera autem quæ conſultórem collegamque non patiuntur, neutiquam ſunt ſordida. Quod ſi alere miniſtrum Vulcanium nequit; nihilominus ipſe feriabitur. Vtcunque enim polluerit fumo veſtem; mutabit eam exiturus ad populum; ſi inquinauerit argilla manus; præſto eſt aqua. Sed receptui eſt canendum. Ego tibi ſpeciem quandam chymici propoſui, vt deliberes amplius, ſitne hoc ſtudium ſequendum, an proiiciendum. Quid tuæ vitæ & moribus congruat, videbis. Vale.

EPIST. XXIIII. DE COLIS CHYMICIS, VITRORVM munimentis, recluſione, luto, &c.

AD M. IOHANNEM BIRDVMphelium Coburgicum Medicinæ candidatum.

1. part. 5. CVM de animalium partibus contemplationem meditaretur philoſophus, nihil ſibi omittendum vel vilius vel nobilius putabat, quod ingenuè philoſophantibus,

bus, ſi modo cauſas intelligerent, vtrobiq; miræ excitarentur voluptates, neq; dignum ſit viliorum diſputationē perpenſionemq; faſtidio puerili ſpreuiſſe, cum nulla res ſit naturæ, in qua non mirandū aliquid habeatur, nec furnariæ Heracliti caſulæ Deus deſit. Idem mihi, Ioannes, in chymica inueſtigatione propoſitum eſſe debere, facilè intelligis. Sicut enim in natura minima quoq; & dignitatem & diuinitatē obtinent ſuā; ita in arte. Nec minus neceſſarium eſt hic de illis præcipere, quam in natura contemplari. Etenim in vilibus ſunt precioſorū momenta, adeo vt nihil la idabile poſſit ars gignere niſi miniſterio ſordidorū, & non raro ex his ipſis, quo pacto in figulina ex luti, rei nimirum abominandæ bene tractandi ſcientia, vaſorum optimorū dependet fabrica, ita in aliis artibus ex imperfecto, rudi, turpiq; ſcienter elaborato adhibitoque prodit perfectū, pulcrum, honeſtumq;. Age itaq; cōferamus nos in ergaſtulum chymicum contēplaturi pānos, cola, lutum, ſignaturas & reſignationes ampliationesq; vitrorū, in quibus quanquam delicatulis nauſea eſt, tamē non parum eſt induſtriæ, adeo vt ſi imperitè adminiſtres, opus pereat totū, aut ſit in periculo. Ecce tibi lacinias & pannos laceros quidem & obſoletos; mundos tamen. Horum vſus eſt in extergendis vaſis: Eſt & in deſtillando per deſcenſum, tūc nempe cum

à ſedimento purum volumus abſtrahere, & exugere liquorem. Laciniæ enim mundæ præmadefactæ latiore extremo immittuntur in concham, ea induſtria, vt non altè immergantur in limum, nec hunc turbis excitatis vnà combibant: altero in partes acutas fiſſo in receptaculum dependeant. Ita enim abſorptum humorē ſtillando reddunt trāſfunduntq; ſicut hirudines præſecta cauda ſanguinē. Vocari hæ laciniæ etiam filtra ſolent, & earum ἐνέργεια filtratio. Sed hoc nomen generalius eſt. Complectitur enim etiam cola quædam ſeu ſetacea, ſeu carbaſea ex densè coactis filis, vt in panno ex goſſypio & ſimilibus videre eſt; ſeu chartacea, ſeu hederacea, ſeu medullacea & alia. Nam variæ ſunt non formæ tantum, ſed & materiæ. Nō loquor de Myſtica Iachi vanno, nec de Bromij crate, nec cribro Oſiridis; ſed colis chymicis, per quæ traiiciūtur liquida, aut transferuntur. Ex ſetis equinis quo pacto confectum ſit colum, cuius vſus eſt in oleis potiſſimū expreſſione eliciendis, notū eſt. In locū eius venit pannus ex filamentis vrticę, aut canabis, aut bombace. Chymicus incuruat & in cuculū veluti intorquet chartā emporeticam, repræſentās ita manicā Hippocraticā, & modo vtitur in ſolutis calcium humoribus, muriaq; depurandis: Nam vix effugiunt hic etiam tenuiſſima capillamēta: modo in ſegregādo ab aquis oleo. Illis enim

ob

ob fragilitatem dilabentibus, hoc reſtat ob tenacitatem craſſitiemq́; ſubſtantiæ. Manicæ Hippocraticæ & cuculli figura tibi non eſt ignota. Chymicus per eam elemẽtum ſalis ex calcibus & cineribus, depoſitum in liquorem, qui cum illo coniunctus lixiuium vocatur, euocat. Sed & in vſus venit alios. Bonæ enim rei fines ſunt multi. Quod hîc vides coriũ, & pellem hœdinã, agninamq́;, inſeruit percolando hydrargyro. Nam cum abundantior citra iacturam ab amalgamate ſegregandus eſt, nec tamẽ labor deſtillatorius placet; cum item depurandus; cõpendio traiicitur exprimiturq́; per coriũ hircinum, aut ceruinũ; aut pelles ouillas, quarũ tamen vicem ſuſtinent etiã panni carbaſei. Per anguſtiſſimos meatus magna vi tũc vrgetur, cum à ſublimatione ignauior eſt, & corpulẽtius fluit. Sicut enim vina lenta diſſipantur verberibus & colo; ita & ille. Sed præſtringendum arctiſſimè orificiũ & faux ſeu collum pãni eſt, ne refugere poſſit. Hederaceum poculum & fiſtulæ ex quouis raro ligno, vt ex arũdinibus ſolidis ſeu cannis, ex ſambuco & ſimilibus, quam ſubtiliſſimã transſudant humiditatem. Itaque in accuratiſſimis adhibentur operibus. Interdum ſal vrinarius per figulinum rarius exigitur. Nam ſudor in altera concreſcit foris parte, indeque abraditur. In coli vſum etiam cortices rari poſſunt transferri. Frequenter

recipiendũ modo profundiore, modo planiore. Carbones aut ſupponũtur, aut affundũtur, ſicut videre eſt in eliquãdo plumbo, in excoquendo ad purum cupro; in purificando argento, vbi tamen ligna adhibentur, in ſegregando cupro & argento, in aurichalco conficiendo & aliis. Germani ferè diſtinguunt certis vocabulis, nominantes Röſtofen, Schmeltzofen/ Treibherdt/ Seigerherdt, Gahrofen/etc. Chymici tamen proprię ſunt fornaces deſtillatoria, ſublimatoria, deſcenſoria, reuerberatoria, quarum hęc omnium liquatoriarum, atq; etiam fumuli docimaſtici vim complectitur, quanquam vario vultu ſoleat concinnari. Ingenioſus chymicus artem exercet in vaſorum & inſtrumẽtorum paucitate pro neceſſitate rerum. Deſtillatoria congruit balneis, & cineribus & arenis mutato vel catino, vel ſaltem materia. Per eandem licet etiam ſublimare. Paulò variat cũ per retortam deſtillandum eſt, quanquam hoc fiat interdum ſine catillo, interdum eodem adhibito. In omnibus eſt pauimentum & capſula cinerum, quæ finitur crate, quam ſequitur focus, quem terminat catinus, aut ipſum vas nudũ pro vt neceſſitas exigit. Summa pars mobilis fieri poteſt pro vſu vario. Focus & cinerariũ conſtantia ſunt, niſi amplitudo ſit mutanda. Adiectæ ſunt valuulæ ſuæ, oſtiola & ſpiracula. Hinc coniicis chymicum debere

item

item partem quandam Lybiæ arenoſæ obtinere, & Ætnææ planiciei, quo ſuppetant illi arenæ & cineres. Sed & Vulcanum demerebitur Neptunumq́ue. Vt non deſint ſcobes ferratæ, & balneæ. Furnus deſcenſorius ſurſum admittit carbones, inq́; medio vas figulinum continet, vnde promittitur canalis in receptaculum. Qui rudius eum apparant, ollis vtuntur ſeu in ſe conuerſis iunctisq́ue per orificia interueniente crate; ſeu vnius pertuſo foraminibusq́ue peruio fundo inſerto in alterius inhumati orificiũ, operculo verò integente. Reuerberatoria fornax vel cõcamerata eſt, ita vt in ſe reuertatur flamma, quam ſpeciẽ etiam piſtorum clibani & metallicorum toſtoriæ fornaces repræſentãt, quin & illa qua minij vena excoquitur; vel turrita, ita vt collum ſit ſtrictius, quo in anguſtum compulſa flamma vniatur; in ſummo relicta quaſi crena gemina, quo ſpiritus exeant. Hac vtimur in calcinando, quin & deſtillãdo per retortam; poteſtq́ue tunc ita concinnari, vt duo vel plura vaſa admittat ſimul; vtimur & in eliquãdo, probando & aliis. Vocatur fornax aliquando etiam fimus. Sed potentiam fornacis tepidæ aut balnei ſaltem habet, eſtq́; vel fouea in humum depreſſa, ſtrataq́; calce viua & fimo equino vel ſimili recente, vel canalis amplior ex aſſeribus aut ſimili materia, repræſentãs foueam. Nec ego balneum

rectè dixerim fornacem, quanquã fornacis auxilio poſſit procurari. Sed nõ deſunt plurimi eiuſmodi, quos expreſſos apud alios inuenies artifices. Furnulus probatorius, imitatur penè liquatoriũ metallurgorũ, niſi quod catillum peculiarẽ exemptilemq; habeat, & tegulã qua defenditur à prunis. Nihil dico de camino orichalchi, in quo ollæ ſuſtinent catinorum vicẽ. Sunt & plurima nõ tantum apparandarũ fornacum præcepta, ſed & in opere regendarũ mutandarũque, claudendarũ, aperiẽdarum & aliâs adminiſtrãdarum. Sed ne me fornacariã profiteri putes, omitto illa. Athannoris mentio nõ erat poſthabenda. Sed ego te Iohannem de Rupe ſciſſa adire iubeo. Ille planè Geometricã eius dat deſcriptionẽ. In aliis quoq; non deſunt quos cõſulas, in quibus eſt Geberus, Vlſtadius, Dornæus, Lonicerus, pluresq; alij. Eſt & aliqua catinorum diſciplina. Non enim fiũt ſimiliter vbiq;. Ollæ apodes ex luto vel metallis quibus cõtinẽtur cineres, & ſimilia, inſtar cacaborũ aut ahenorũ, catini vocantur; ſi parui ſunt, catilli, vulgò copellæ, quæ peculiaris ſunt formæ in probatoria, & inſternũtur oſſium combuſtorũ alioq; cinere; vnde catillus cinereus. Hi catilli idem penè ſunt, quod focus cinereus in ſegregãdo argento. Hinc δοκιμασία talis, vocari ſolet cineritium, & copella, interdum quartyter prob[illegible] niſi fallor. Catini nuncupãtur etiam

etiam triquetræ ollæ aurifabrorū, quæ vulgò tigilla, ſeu tigella, & cruſibula. Vocauerim ita conoides quoq; vaſculū ex aurichalco fuſorium, qđ Giebßbuckel dicūt. Sed quã numeroſa ſeges eſt materiã artis cōtinentiū, recipiētiumq;? Aludelem Arabes (opinor) appellant cucurbitã luteam ſublimatoriam proceri colli ex fundo modo plano, modo circulari producti. Eius operculū eſt alembicus cęcus, quanquã aliquando in ſummo foramen relinquatur exiguum, quo ſit ſubtilibus ſpiritibus fuga. Cucurbita deſtillatoria ratione amplitudinis eſt varia. Cucurbitula ſeparatoria tibi nota eſt. Matulã vocãt eam quæ ampla eſt, vt manus inſeri poſſit, & materia abſq; vaſis lęſione eximi. Alię maiores ſeparatoriã, vel rectæ ſunt, vel incuruæ; & hæ nominantur botiæ, vel retortæ, vel cornua muſæ. Rectæ operculū nuncupatur alembicus ſeu galea roſtrata. Fiunt hæ ex vitro plurimum. Aliquando verò etiam ex metallis, & terra figulina tenaci. Sunt & modo ſimplæ, modo duplæ. Operculum ſeu alembicus interdum ex eadem eſt materia, interdum ex diuerſã; ſicut nec perpetuo eſt eiuſdem formæ, cum nūc campanam roſtratam referat, nunc craneum. Roſtrum ipſum canalis eſt curtior, prolixior pro rei neceſſitate. Interdum additamentum habet ex ſerpentinis vocatis ſiue in gyrum ductis ſiue multiplici lapſu

vltro

vltro citroq́ue extentis,&iam per cupas refrigeratorias tendentibus iam in vẽtres immiſſis. Alembicus item veſtitur interdum veſica vel alio vaſculo refrigeratorio, interdum pannis madidis inducitur, interdum lutatur, interdum nudus relinquitur. Inducuntur & cucurbitæ ipſæ luto, quanquam non ſemper. Sed nec incruſtantur tantum; conglutinantur etiam circa commiſſuras, & ſicubi rimas agunt. Cornu muſæ non opus habet operculo. Nam committitur ſtatim receptaculo, ſuſtinetq́; collum eius vicem roſtri & galeæ. Receptacula plerunq; ſunt vitrea variæ formæ. Quædam ampullæ ſunt colli breuis, aut prolixi; Quædam cucurbitulæ oblongæ; quædam incruſtatæ, quædam pannis tectæ, quædam nudæ. Pro vitreis ſeruiunt & figulinæ. Sed hic nõ poſſunt benè dignoſci liquorum mutationes. Numerus recipiẽtium variat interdum vel in vno opere. Qui enim diuerſas eſſentias repetito opere ſegregare volunt; diuerſis temporibus egredientes mutatis excipiunt vaſis. Itaque tunc ſimul attendendum erit, vt reclusio ſit artificioſa; & ne à grauibus ſpiritibus violentur nares, quod facilè fieri vel ad animi deliquium poteſt in mineralibus acribus, ſicut ſibi à Paracelſo eueniſſe aliquando teſtatur Oporinus. Eſt autẽ tunc inſtituenda permutatio, cum alio tempore exit phlegma, alio humor citrinus, alio rubicun-

bicundus, quæ diuerſa elementa vocant. Quidam duo receptacula eodem committunt collo, ita vt paulo incuruatum ſit ſuperius, cui per foramen colli iungitur ſubſtatque inferius rectum & breuius. Videre eſt illo excipi vaporem ſeu ſpiritũ; hoc liquorem iam in alembico coagulatum. Retortæ vſus potiſſimum eſt in his quæ non facilè aſcendunt, quanquam non perpetuo. Nam & hydrargyros licet grauis valde ſit in ſublime agitur, & pulueres ſicci terrei vi ignium in altum compelluntur: Et non raro vtroq; inſtrumento fiunt eadem. Sales minerales, alumina, chalcanthum & ſimilia vbi reuerberij igni opus eſt, per retortam vſitatè aguntur, ſicut & oleum antimonij, ſulphuris & ſimilia. Campana non tantum alembici officio fungitur, ſed & ſeorſim ſuum habet vſum in ſpiritu ſulphuris excipiendo, & hydrargyro ex vena ſua eliciendo: quanquam abuti poſſimus etiam olla, & galea. Tunc autem receptaculum eſt paropſis, niſi roſtrata ſit & laciniata ſeu imbricata canaliculatáve in margine. In medio paropſidis vaſculum ponitur figulinum cum ſulphure incenſo; vel cum vena hydrargyri, alio vaſe continente prunas. Ad extremitates debet aëri ingreſſus relinqui. Loco paropſidis adhibetur tabula canaliculata. In hoc opere attendendum eſt vt flamma ſurgat, non autem reciprocet reflectaturq;. Coquit chymicus

micus interdum in ouo,&reſoluit.Intellige verò tum ouum philoſophicũ in opere lapidis; tum phyſicum cuius vſus eſt in oleis quibuſdã per ſolutionẽ faciendis,nec quicquã eſt aliud quã albumen dimidiatum,vbi induruit, in cuius fouea tãquam acetabulo liqueſcit myrrha vel ſimile quid.Oui philoſophici rationẽ diſces ex Rupeſciſſa. Munimẽtum eius eſt goſſypium, & globus quernus per mediũ ſectus & cõplicatilis: & hoc in tepore. Vbi ignis validior eſt, cinis pro goſſypio & figulina teſta ꝓ quercu petitur. Oualis figura obſeruatur interdum etiam in pelicanis circulatoriis cum multiplici gyro; ſed & globus idem præſtat, variis conſtans ſphæris oculatis, inſtar Polyphemi. Non in hortis tantum creſcunt violę,nareſq; oblectant. Inter vaſa chymica nõ poſtremas habet. Eſt autem ampulla cum prolixo anguſtoq; collo, quod cũ hermeticè ſtringitur, teſtam oui vitreã relinquit. Dilatatur tamẽ aliquando colli ſummitas, vt impoſito alẽbico exugi liquor poſſit,cũ nos tædet tranſfundere materiam,aut hoc non ſat cõmodè peragi poteſt. Quantitas harum interdum vix iuglandem aſſequitur; interdum maior eſt,pro materiæ multitudine. Collum ideo eſt procerum, vt tum ſpiritibus fuga ſit impedita, tum ſtringi recludiq; ſæpius poſſit; quin & eminere ex fimo altius, & agitari. Crebro frangenda ſunt vitrea. Itaque numeroſa

meroſa eſſe oportet. Pelicanus vas circulatorium eſt cum reflexo collo vtrinque ita vt fiſtula promineat ſurſum, & appareat inſtar anſatæ obbæ. A picti pelicani pectus ſuum aperientis ſimilitudine dictum volunt. Veteres adeo mirabile vas deſcripſerunt, vt pingi potius, quam fingi poſſit. Ideoque officium eius demandatum eſt, aliis factu cõmodioribus. Quidam applicant retortam retortæ, vocantq; botiam cõtra botiá; quidam matulæ imponunt cucurbitam; alij ſimile quoddá vas confingunt illi, quo muſcę excipiuntur; alij tres veluti globos coaptát, ita vt cõmuni via intus iungantur. Mira eſt ſolertia. Quo putrefiunt digeruntúrq, materiæ, vas inſtar oui oblongi eſt, aut cacabi quo aqua in vaporariis incaleſcit; addita tamen fiſtula. Sed non deſunt etiam aliæ formæ, quæ paſſim extant depictæ. Nec ſine induſtria cucurbitæ deſtillatoriæ & matulę impoſito cęco opculo. Inſeruire etiá putrefactioni poſſunt, multitudinẽ vaſorũ fugiẽte chymico perito. Si mihi aliquid iuris in chymia eſſet, monerẽ tyrones ex Platonica cõſuetudine, vt ex ſpecie operationis fineq; & vſu perito colligerẽt formam internã, externę facile illi adaptantur. Matrix vocata ad circulandum, & putrefaciendum commoda eſt. Eſt autẽ vitrum triquetrum cum foramine, quantum mihi cõſtat. Rectificatio non vtitur vaſis nouis, deſtillatoriis, circulato-

latoriis, & ampullis reſeruatoriis contenta. Apud Hieronymum Rubeum deſcribitur hydrargyri in aquam ſoluendi vaſorum cõiugatio & ſeries per fornacem tranſiens, deſinensq́ue vtrinque foris initio in fundibulum, ſine in retortam recipientem. Vaſa intermedia collo, ventre & cauda conſtant, quibus ſibi mutuo inſeruntur. Idem autor calcinandi ſtibium & flores colligendi ſingulare exhibet artificium. Fit figulinum dolij inſtar, cuius cauda deſinit in cupam; caput verò follem inſertum præ ſe fert. Id vbi poſitum in ignem cum ſtibio eſt, iamq; aliquid calcis ſeu florum extitit; perflatur folle, agunturq́ue in cupam flores. Hi excipiũtur etiam commode triplici olla, vel galea figulina aut ferrea accommodatis ſibi mutuo, & in medio perforatis. Sed in ſummo paruum foramen eſt relinquendum vt trãſeant ſpiritus ſubtiliſſimi. Alioquin fauilla reflectitur. Hoc puto eſſe ſimulacrum ſublimationis per alembicos multos. Imponitur autem incumbitq; priori poſterior. Hęc præcipua ſunt chymici organa. Reliqua turba penè ſine numero & honore eſt. Cõchis vtitur ad eluendum, filtrandumq́ue, & ſedimenta. Sunt & pocula ſeu calices & patinæ ollæq́ue ad recipiendum deſtillantia & alios vſus. Trullarum officium indicat forma: ſicut & operculorum, doliorum, pyxidum, vitrorũ, lebetum & eiuſmodi. Pyr-

agra & forceps ſe produnt nomine. Tu col-
lige ſimiliter de cochlearibus, follibus, tri-
pode, ſpatulis, ignitabulis, fomite, filis ſul-
phuratis, infundibulis (quanquam hæc non
tantum ad infundẽdum, ſed & ſeparandum
vſurpantur) ſiphunculis, circulis, candelis,
malleis, ſilicibus, calce, arena, lima, epiſto-
miis, coriis, veſicis, cucullis, bacillis ferreis,
ſcopis, flabellis, mortariis, piſtillis, libellis,
põderibus, radicula, pãnis, manica, laciniis,
charta, cribro, vinculis, tabulis marmoreis,
& vitreis, canalibus, craticulis, ſcoriis, cupis,
& quis omnia cõmemoret? Quicqd enim
culina, pharmacopœa, metallurgia & ſimi-
les artes ſibi vẽdicant, idẽ penè omne etiam
chymia. Nã & præfurniis vtitur & caminis
quibus excipit fugaces partes. Ego tibi optẽ
crumenã Fortunati & pileũ. Nam & his eſt
opus. Quidã ex magia & cabala aſciſcũt cha-
racteres, literas, imagines; ex aſtrologia ſtel-
las, &c. Sed ego homini pio ſeduloq; orãti
& circũſpecto iſtis nõ opus eſſe iudico, ſicut
nec genio Paracelſico & arbatelico eget is,
qui Deum habet propitium. Sed quinã ſunt
chymici mores, qui veſtitus? Noſti quo pa-
cto Stoici ſuũ deſcribant ſapiẽtem, quod ſi
nunquam cõmoueatur affectibus, & vultũ
habeat ad omnẽ fortunam ſaxeũ, qui poſſit
ſemp βλέπειν τιτανῶδες & ſpirare ignem. Lõgè
rigidiorẽ aliqui requirunt chymicũ, ne dicã
pollutiorem. Quaſi commertia hominum

eiuraſſet, ex eo faciunt veſpertilionem; qui in antris latitet inſtar trophonij aut vt troglodytæ, aut mures alpini; qui non admittat colloquia tanquam alter Timon, aut melãcholicus ille Homericus: qui toruum proſpiciat veluti taurus; qui cum loquendũ eſt, fundat myſteria, neq; quicquam apertè dicat, non raro etiam muſſitet verba non aliter ac Horatiana aut Lucanica ſtrix dum verba terræ immurmurat ad prouocandos manes; qui neminem patiatur aliquid ſcire, ſed ſibi ſoli cuncta aſſignet, tanquam in cõcilio Iouis, velut alter Æacus enutritus, aut Tireſias rediuiuus, ad quẽ reliqui ſunt vmbræ: qui item de dæmoniis tam confidenter pronunciet, ac ſi aliquot annos præfuiſſet familiis eorum; qui carbonibus fauilla fumoq; ita ſit atratus, vt qui caminos perpurgare conſueuerunt; qui nauſeet annulos Galenicorum & pelliceas veſtes & collaria emundata emaculataque; quanquam nõ tota ſecum conſentiat factio, quibuſdam ſplendidius penè ipſo Attalo ex fructu impoſturarum incedentibus, atq; etiã pinguia prædia & nobilitatem turpitudine fraudũ ſibi cõparantibus, vt ſicut in aliis flagitiis, ita hic nihil ſit mediũ; qui cucullum gerat ſordidatum, ſicut qui laruas imitantur in bachanalibus; qui totus oleat caminum, vt Paracelſus ille putidus, quanquam (ſi vera ſcribit famulus olim eius Oporinus) non carbo-

carbones tantum & fauillam oluerit, ſed & hircum, & tabernas, & fimum, & quas non ſpurcitias? Tandem, ne quid deſit obſcœni, etiam cynicam impudentiam, tanquam in ſchola Diogenis educato eidẽ aſſcribũt; vnde nemini ſeruire ſuſtinet; ipſe eſt monarcha, ſolus liber & ſuus, quiq́; perpetuo gaudeat moribus non vulgari honeſtati probatis, ſed SVIS. Quidã ex recentioribus armãt eum nõ rationis ſpectatæ adminiculis, non ſenſu certo, & experientia; ſed forcipibus, acerra, ollis, bidẽtibus & huiuſmodi. Si me ille auſcultaret, adderem collo monile ex equinis pilulis, caputq́; munirẽ diſco vaccino, aliaq; ſimilia excogitarem ornamenta, vt impurus eſſe qui vellet, eſſet ſat impurus. Veri chymici non ignorant quid diſtent lupinis æra, quoque ſit officina ingredienda habitu, quo adeundum tribunal. Hic eſt comis & affabilis, eſt φιλάνθρωπος; nõ omnia ſibi arrogat; cupit autem diſcere, audireq́; & cõferre ſententias cum plurimis, maximè verò peritis. Nõ diſcedit ab officiis ſocietati debitis; nõ religiones fingit & diabolorum contubernia; nec ducit vultus; pius eſt; modeſtus eſt, cumq́; poteſt, etiã liberalis. Naturã vt cõdita à Deo eſt, & vſu ſedulaq́; indagatione cognita in auxiliũ poſt Deũ acceſſit, non conſulit diabolos & genios ex aſtris trahit. Tẽpora actionum diſtribuit; vigilat, dormit, laborat domi; miniſtrat foris; cœnat,

 abſti-

abſtinet, quandocunque eſt oportunum. Mentiuntur qui dicunt chymian aduerſari ciuilitati & conſuetudini publicæ. An opulentus chymicus ſit imprudentior opifice vel viliſſimo, qui ſordida opera per famulos, aut cooperarios adminiſtrat, ipſe verò ſaltem modum docet? Opera autem quæ conſultorem collegamque non patiuntur, neutiquam ſunt ſordida. Quod ſi alere miniſtrum Vulcanium nequit; nihilominus ipſe feriabitur. Vtcunque enim polluerit fumo veſtem; mutabit eam exiturus ad populum; ſi inquinauerit argilla manus; præſto eſt aqua. Sed receptui eſt canendum. Ego tibi ſpeciem quandam chymici propoſui, vt deliberes amplius, ſitne hoc ſtudium ſequendum, an proiiciendum. Quid tuæ vitæ & moribus congruat, videbis. Vale.

EPIST. XXIIII. DE COLIS CHYMICIS, VITRORVM munimentis, recluſione, luto, &c.

AD M. IOHANNEM BIRDVMphelium Coburgicum Medicinæ candidatum.

1. part. 5. CVM de animalium partibus contemplationem meditaretur philoſophus, nihil ſibi omittendum vel vilius vel nobilius putabat, quod ingenuè philoſophantibus,

bus, ſi modo cauſas intelligerent, vtrobiq; miræ excitarentur voluptates, neq; dignum ſit viliorum diſputatioṅe perpenſionemq́; faſtidio puerili ſpreuiſſe, cum nulla res ſit naturæ, in qua non mirandū aliquid habeatur, nec furnariæ Heracliti caſulæ Deus deſit. Idem mihi, Ioannes, in chymica inueſtigatione propoſitum eſſe debere, facilè intelligis. Sicut enim in natura minima quoq; & dignitatem & diuinitatē obtinent ſuā; ita in arte. Nec minus neceſſarium eſt hic de illis præcipere, quam in natura contemplari. Etenim in vilibus ſunt precioſorū momenta, adeo vt nihil laudabile poſſit ars gignere niſi miniſterio ſordidorū, & non raro ex his ipſis, quo pacto in figulina ex luti, rei nimirum abominandæ benè tractandi ſcientia, vaſorum optimorū dependet fabrica, ita in aliis artibus ex imperfecto, rudi, turpiq; ſcienter elaborato adhibitoque prodit perfectū, pulcrum, honeſtumq́;. Age itaq; cōferamus nos in ergaſtulum chymicum contēplaturi pānos, cola, lutum, ſignaturas & reſignationes ampliationesq́; vitrorū, in quibus quanquam delicatulis nauſea eſt, tamē non parum eſt induſtriæ, adeo vt ſi imperitè adminiſtres, opus pereat totū, aut ſit in periculo. Ecce tibi lacinias & pannos laceros quidem & obſoletos; mundos tamen. Horum vſus eſt in extergendis vaſis: Eſt & in deſtillando per deſcenſum, tūc nempe cum

à ſedimento purum volumus abſtrahere,& exugere liquorem. Laciniæ enim mundæ præmadefactæ latiore extremo immittuntur in concham,ea induſtria,vt non altè immergantur in limum,nec hunc turbis excitatis vnà combibant: altero in partes acutas fiſſo in receptaculum dependeant.Ita enim abſorptum humorẽ ſtillando reddunt trãſfunduntq; ſicut hirudines præſecta cauda ſanguinẽ. Vocari hæ laciniæ etiam filtra ſolent, & earum ἐνέργεια filtratio. Sed hoc nomen generalius eſt. Complectitur enim etiam cola quædam ſeu ſetacea, ſeu carbaſea ex densè coactis filis, vt in panno ex goſſypio & ſimilibus videre eſt; ſeu chartacea, ſeu hederacea,ſeu medullacea & alia. Nam variæ ſunt non formæ tantum, ſed & materiæ.Nõ loquor de Myſtica Iachi vanno,nec de Bromij crate,nec cribro Oſiridis; ſed colis chymicis,per quæ traiiciũtur liquida,aut transferuntur. Ex ſetis equinis quo pacto confectum ſit colum, cuius vſus eſt in oleis potiſſimũ expreſſione eliciendis, notũ eſt. In locũ eius venit pannus ex filamentis vrticę,aut canabis,aut bombace.Chymicus incuruat & in cuculũ veluti intorquet chartã emporeticam,repræſentãs ita manicã Hippocraticã,&modo vtitur in ſolutis calcium humoribus,muriaq; depurandis: Nam vix effugiunt hic etiam tenuiſſima capillamẽta: modo in ſegregãdo ab aquis oleo.Illis enim

ob

ob fragilitatem dilabentibus, hoc reſtat ob tenacitatem craſſitiemq́; ſubſtantiæ. Manicæ Hippocraticæ & cuculli figura tibi non eſt ignota. Chymicus per eam elemẽtum ſalis ex calcibus & cineribus, depoſitum in liquorem, qui cum illo coniunctus lixiuium vocatur, euocat. Sed & in vſus venit alios. Bonæ enim rei fines ſunt multi. Quod hîc vides coriũ, & pellem hœdinã, agninamq́;, inſeruit percolando hydrargyro. Nam cum abundantior citra iacturam ab amalgamate ſegregandus eſt, nec tamẽ labor deſtillatorius placet; cum item depurandus; cõpendio traiicitur exprimiturq́; per coriũ hircinum, aut ceruinũ; aut pelles ouillas, quarũ tamen vicem ſuſtinent etiã panni carbaſci. Per anguſtiſſimos meatus magna vi tũc vrgetur, cum à ſublimatione ignauior eſt, & corpulẽtius fluit. Sicut enim vina lenta diſſipantur verberibus & colo; ita & ille. Sed præſtringendum arctiſſimè orificiũ & faux ſeu collum pãni eſt, ne refugere poſſit. Hederaceum poculum & fiſtulæ ex quouis raro ligno, vt ex arũdinibus ſolidis ſeu cannis, ex ſambuco & ſimilibus, quam ſubtiliſſimã transſudant humiditatem. Itaque in accuratiſſimis adhibentur operibus. Interdum ſal vrinarius per figulinum rarius exigitur. Nam ſudor in altera concreſcit foris parte, indeque abraditur. In coli vſum etiam cortices rari poſſunt transferri. Frequenter

nobis miniſtrãt gauſapa villoſa, & pilei, vnde credo chymicorũ filtrum dictum. Nã ex pilis coactis in formã pãni fit, quod Germani Filtz vocant; vnde vulgo traiicere eſt Filtziliren, quaſi per lacernam aut penulã piloſam agere. Colis eiuſmodi interdum ſuſtentaculi loco ſubiicitur cribrum ſeu ligneũ, ſeu metallicũ, modo nihil inde capiat peregrini liquor. Sed mittamus cola. Alæ anſerum & aliarum auiũ; ſicut & leporini pedes, pulueribus diſſipandis emundandiſq; vaſis, aut etiã ſubtiliter conuerrendis calcibus inſeruiunt. Expurgãtur adhęrẽtia tenacius echinis ſeraceis aut ex ferreo filo factis. Soluuntur & ſcalpris, & limis. Itaq; vides eiuſmodi inſtrumentorũ copioſam ſeriẽ. Cultelli hi & organa raſoria cõmoda ſunt ſignis & glutini detrahẽdo aperiendiſq; cõmiſſuris, niſi ſufficiat aquæ ſolius mador, & epithemata. Cereę obſignationes niſi friabiles duręque ſint, calore promptè recluduntur. In friabilibus diligẽter cauendũ eſt, ne quid delabatur in materiã, quam aliena re miſceri nefas eſt. Circulus ille plũbeus, & ſtramineus alter, ſubſternuntur vaſis balnei, vt his innitãtur; Et plũbeus qdẽ cõmodioris eſt vſus, qa ſua grauitate in imo vas leuius detinet. Ideo & dẽticulis, ſeu retinaculis eſt inſtructus, qbus collo cucurbitę iniectis reuinctiſq; coerceatur. Sunt & varia ahenorũ fornacũq; tectoria ſeu opercula in medio perforata: ſunt

Idem etiam aptus eſt receptaculo in aqua, dum ſpiritus fortes deſtillãtur detinẽdo.

ſunt & vitrorum pedamenta, & grues ſeu roſtra ciconiarum, à quibus dependent vaſa. Quos ibi vide ſacculos; illi referti ſunt varia ad lutandum materia. In hoc eſt bolus & rubrica. In hoc ſcobes metallorum elimatæ; in aliis ſerramenta, flocci, cineres, vitrorum pulueres, arenæ, fuligines, rubigines, calces, fimus ſiccatus excuſſusque, teſtarum contritarum & laterum excretiones, quin & fragmenta catinorum non abiiciuntur, ſicut nec ſcoriæ. Varium præſtant vſum etiam olea, albumina, farinæ, ramenta metallorum, collæ, cera, reſinæ, pices, & his affinia, quæ vix numero comprehendas. Vitrorum colla non rarò ſunt anguſtiora exilioraque quam par erat. Ea vel ampliantur, vel refringuntur. Ampliatio fit cum emollita ſeu ignibus ſeu aquis forpice extenduntur explicanturque, quo pacto noſti in officinis vitrariis poculorum ſpacia dilatari. Aquæ emollientes dicuntur fieri ex ſanguine hirci Iſatide, gallio ſeu ſenecione, cineribus vitri & aliis ſine ſucco, ſine lixiuio, ſine deſtillato effecto. Sed chymicus tantum otii non habet. Decollatio peragitur vel per forcipem qua detruncatur partim ſeu fruſtulatim; extremitatum aſpredo corrigitur lima: vel per ſmirin, quod obſeruatur à feneſtrariis; vel circulum ferreum candentem, quo ſtringitur fracturæ locus, incaleſcitque. Diſſilit autem affuſa frigida

ſtillatim. Quidam prius ſulcant ſmiri, & fracturam dirigunt. Ille vero circulus eſt complicatilis extenſiliſque vt poſſit exilibus tam competere, quam craſſis. Quidam diuerſos ſibi curant fabricari. Loco circuli ingenioſiores adhibent ſulphurata fila ſexies circumducta incenſaq́;. Hæc vbi conflagrauit iniecta frigidæ gutta, diſſilit, vbi vehementius incaluit, aut quà præſtrinximus ſmiri, quod fieri ſolet ad locũ filorum. Cum rimas agunt vaſa, aut perforantur, franguntúrq; in partes, ita vt compenſari reſtituiq́; labes poſſit; glutinari ſolent pro cuiuſque natura. Metallica varie vniuntur, nempe vel malleo, vel clauo, vel luto forti, vel plumbo, cupro & ſimilibus. Huius reſtitutionis gratia non deeſt oleum, quo interueniente plumbea cocunt & ſtannea, nec borax, fel vitri, & ſimilia. Quibus vero redintegrentur lutis, mox audies. Artifex prouidus metui rupturarũ inductione luti ſecuri medet̃. Fiſſuris præſto eſt pannus vel charta cum oui albugine & farina: quanquam vbi ſpiritus copioſi ſubtileſq́; aguntur, non multum in illis eſt præſidii. Vaſorum obſtruendorum circa aditus non vnus eſt modus. Violarum colla, & fiſtulæ pelicanorum putrefactoriorumq́; ſtringuntur hermeticè, ita vt ne tenuiſſimus quidem meatus relinquatur. Qua aũt arte id fiat, explicauit Vlſtadius, repetiuitq́; in veſtibulo botanici ſui

Loni-

Lonicerus. Foculus eſt cum prunis ſurſum patẽs, & ad imum oculo ſeu foramine peruius. In hoc immittitur fiſtula vitrea, incaleſcitq; donec molleſcat. Deſuper incũbit forceps item ignitus, & manu artificis actus comprimit intorquetq; collum, ſed cautio ſit ne frãgatur. Poſtea ſenſim frigeſcit. Quæ vaſa non ita exactè claudenda ſunt vel luto tantum aliove glutine obſtruũtur, vel cono aut operculo exactè congruente. Metallicis cochleata competunt tegumenta. Sed hæc occluſio non prohibet perſpirationem niſi accedat gluten. Nec ſatis tuta eſt cera vulgaris. Valdè caſtiganda erat temeritas pharmacopolarũ, qui fragrantiſſimas aquas & olea admodũ ruditer obſtruunt, vel leui cera impulſa, vel cono papyraceo vel complicata charta aſtrictaq;, vel veſica, vel tegumento alio ſimplici, ſicut pixides ſolent vulgo claudi. Neceſſe eſt ita multum perire virtutis, & medicos emptoresq; decipi. Cõmiſſuræ vaſorũ nõ minori diligẽtia ſunt muniẽdæ. Niſi enim hoc fiat, ſpirituoſa eſſentia anteq̃ figatur elabitur. Id aũt nõ tantũ attendendũ eſt in deſtillando, ſed & macerando alibiq;. In ſublimatione quorundã vel ad tẽpus, vel omnino parua relinquit̃ via, ſicut & in cemẽtatione, tum ne frangat vaſa ſpiritus, tum vt nimis volatilis, qui ad præſens opus non eſt commodus, diſcedat. Nec vnus vbiq; claudẽdi modus & materia eſt. In quibus ad excandeſcen-

ducatur, quod vi ignium confundatur concreſcatque tum inter ſe tum cum vitro, vt firmiſſime cohæreat, poſſitque continere materiam vel rupto vitro. Aliquando lutatio arbitraria eſt. Sed tutius adhibetur à tytone. Artificibus peritis vſus conceſſit eam induſtriam quæ non eſt cuiuſuis, quem afflauit Vulcanus. Sed nec vaſa tantum incruſtantur. Ahena & fornaces ſæpenumero egent item munimento, quod tamen ab aliis eſt diuerſum. Notandum eſt vt luto obducta antequam ſuccendatur ignis probè ſint exiccata, & vt ignis gradatim admoueatur. Vbi inter opus recluſio facienda eſt in ſpirituoſis; expectanda refrigeratio eſt. Sed & ipſa rei natura laborantē admonebit. Ita & circūſpectio eſt in rimis obiter factis inducēdis, ne nimis frigida feruentib. candentibusq; immittantur. Sed percurramus glutinum lutique formas. Quædam ſimplices ſunt, quædam compoſitæ. In ſimplicibus eſt cera, viſcū, piſſaſphaltum, axungia (Nam & hæc ſolet allini præſertim, vbi alembici ſunt mobiles) lutum figulinum tenax, gluten, & quæcunque ſolidant metallica tanquam poro interiecto. Miſtæ ſunt vſitatiores. Vitra obſtruuntur maſſa ex olibano & maſtiche calido piſtillo ſubactis: vel cera hiſpanica. Vlſtadius ceram eiuſmodi componit. Reſinam & ceram virgineam probè ſubigit additque olei momentum. Multæ compo-

compoſitiones eiuſmodi poſſunt fieri, ex melle, terebinthina, reſina abiegna, pice, cera, & ſimilibus. Qui clepſammidia coniungunt, ſua quadam vtũtur temperatura, non inepta ſignandis vitris. Aliqui panem azymum in tenues placentas deductũ affigunt. Huius vſus poteſt eſſe cũ cono & operculis, ſicut & charta mellita, aut glutine tincta. Vulgo miſcẽt albumen, farinamq; & illinũt chartæ vel linteis item ad rimas. Attẽdet tyro ne igni liquanti admoueatur ſignum liqueſcens, ſicut nec adurenti cõbuſtile, & aquę reſolubile, vt ante monui. In aqua pſtat hoc, ꝙ ex chirographo quodã excepi. Oui albumen agitãdo in aquam limpidiſſimam diducendum eſt. Huic ingerẽdus pollen excretus, aliquãtulum boli, tantundẽ ſanguinis draconis, & eiuſdẽ cum polline quantitatis caſeus albus excorticatus ſiccatusq; & tritus. Hæc ſubacta allitaq; panno lineo applicantur vaſi. Eidem vſui inſeruiet miſtura calidæ picis cum lapidũ farina vel calce. Sed hæc ad alia quoq; commoda eſt. Aceto macerant ouorũ teſtas: molliunt item cornua; aut teſtarum puluerem tragacanthi gummi cõfundunt, innumeraq; ſimilia excogitant, quib. gloriantur quidam impoſtores, quod artem calleãt inſuendi epiſtolam lapidi. Ad aquas fit aliud ex vernice liquida, calce viua ceruſſaq; contritis commiſtisq; in marmore. In ſicco conducit hoc, ſed ne flammæ

fer-

feruoreve tangatur, quod fit ex creta, fimo equino & papyro carminata. Aliud ex calce viua & albumine, quo dicunt glutinari partes vitrorum fractorum poſſe, ita vt vſum integrorum præſtent. Sed manus requiritur agilis. Ego aliquoties feci periculũ fruſtrà. Calx enim viua albumen ſtatim coquit, & inſtar gelatinæ coagulat, quę poſtea non amplius hæret. Conficitur aliud ex fimo aſini, vel equi, pannis & argilla. Notabis lutum fornacarium aptius eſſe argilla figulina propter tenacem pinguedinem. Itaque mundatum illud à lapillis ſubigere ſoleo floccis, paleis & ſimilib. Non autem ſuſtinet ignem validum. Facilè etiã poteſt tolli affuſa aquà. Nonnulli pilos admiſcent. In igni valido præſtat quod ſequitur. Figulinæ & arenæ partes ſingulæ miſcentur pari cineri cribellato, iunguntur q; aqua. Quo intẽſior ignis eſt, eo validius hæc ſtipantur cõfluxuq; ſuo veluti armatura vitrum includunt. Ex eiuſmodi terra vitroſa fiunt cruſibula, quę vides in igni valido quaſi vitreſcere. Id vocatur lutum ſapiẽtiæ. Vbi illitum eſt, ſiccatur, & inſternitur linteis duplis triplisve, quę tamen cõburuntur tandẽ. Firmius cõflatur ex ferri ſcobe, cinere clauellato, arena puluereq́, laterũ, quæ ingeruntur luto fornacario ſubacto cũ fimo equino, aut paleis. Nõ aũt illini craſſe ſolet. Puto tyronẽ in omnẽ euentũ ſatis inſtructũ eſſe. Quid.n. attinet cumulare ſterco-

ſtercorum & ſignaturarum vultus varios? cui materiæ ſunt præſto, facile miſturæ rationem inibit. Tu hæc tenuia nō aſpernare, & valetudinem tuam cura.

EPIST. XXV. VETERVM PHYSICAM A PARIPATETICIS explicatam comprobatamque non mutari obſeruationibus chymicis.

AD VIRVM PRAESTANTEM ET INgenioſum D. Caſparum Bauhinum Phil. Med. Anatomicum & Botanicum Baſileenſem.

PLATO in Timæo cum de anima diſſerit, conflatam eam eſſe ex eodem, altero & eſſentia, diſtinctamque & compactam ratione proportionis pronunciat. Non puto quicquā illū ſenem, non profundè excogitatum, ſapienterq; iudicatū ſecundum rei ipſius naturam nomine Socratis edere voluiſſe. Latebit itaq; in enunciato illo non parum acuminis. Non ſum neſcius quomodo in Parmenide de ſimili diſſimili, vno altero, eodē diuerſo, genere & ſpecie philoſophetur, quodq; intelligi recitata ſententia ſecundum iſta & declarari poſſit. Eſſentia enim per ſe ipſa eſt anima, quæ ratione communitatis genericæ identitate complectitur omnia; ratione vero differentiæ

iterum

iterum ſegregat ſpecies, facta ita idem & alterum. Sed nec hoc obſcurum eſt, quod ab Ariſtotele explicatum diligentius meminimus animam nempe cognoſcendo res cum illis ipſis vniri facultate quadam ſua, quæ mens & intellectus appellatur, ita vt intellectus actu ſit idem cum re intellecta, quemadmodum ſenſus ἐνεργείᾳ idem cum ſenſili. Itaque cum ipſa per ſe ſubſtantia ſit, alterum idemque poteſtate complectitur, & ad naturam rerum conuerſa illis ſe accommodat, & tota fit idem in iiſdem; diuerſa in diuerſis, nec hoc abſurdè. Dixerunt enim veteres animæ ſubſtantiam cognoſci operibus. Quomodo ergo diuerſa diſtinctaq; intelligeret niſi in ſua natura quid diſtinctum haberet? Quomodo eadem niſi homogenian? Simile cognoſci ſimili malè quidem expoſitum ab aliquibus eſt, ſed à vetuſtate non male dictum. περὶ νείκυς καὶ φιλίας multi declamant multa & quo pacto diſcors concordia rerum fuerit principium probè ſibi intelligere videntur. Sed hoc nihil ad Platonicum illud. Eſt & in mente rationis facultas, quæ deſcripta præceptis vſu rerum, cognitis eleganter oſtendit, omnem rerum naturam comprehendi diſſenſu conſenſuque affirmato, negato, & nihil eſſe quod, ſiue in ſe ſpectetur ſiue ad alіud referatur, ſimpliciter, comparatè, primò ortè, non iſtis occurrat formis, ſit-

que affectum conſentaneè vel diſſentaneè, & poſſit affirmari vel negari. Et ipſe quidem Plato in iſto Dialogo tum cognoſcentis cum cognito congruentia, tum ratione ſuam interpretatur mentem. Sed mihi nunc arridet amor ille Socraticus, quem in ſympoſio mirificè declaratum nouimus, non quidem quod corpora attinet, ſed quod animam cuius virtute & ſcientia prægnantis impetus gignendi occaſionem quærit, nactusque materiam producit alterum eundem nempe ſui ſimilem in diſcipulo imaginem, quæ cum generantis conuenit natura; & nihilominus ab eadem diſtat. Eadem ratio eſt amiciciæ. Sed quorſum hæc tam multa? Non profectò vt te doceam; ea enim es ingenii ſagacitate & doctrinæ præſtantia, vt ex te diſcere proficereque ſcientia non erubeſcam. Sed vt tibi animum aperiam meum, amore philoſophico tuo eundem; cum poſt Deum non tantum honoris mei fueris parens & procreator, ſed & augmentum ingenio addideris tuiq; ſimilitudinē inſculpſeris meo. Fatendum itaque eſt animos noſtros ita cōcinnatos eſſe, quemadmodum Plato volebat, neç hæc delebitur coniunctio diſtinctioque dum durabit vita. Velim vero tibi, vir præclare, etiam hoc ſubiicere, quod, quę animatum eſt natura, eadem mihi videatur eſſe etiam ſcientiarum, quas ſi animas quaſ-
dam

dam dixero, non abſurdè loqui fortaſſis apparuero. Illæ enim ipſæ in anima rationis potentia & vſu donata, ſubſtantiam habent, & non genere tantum, ſed & harmonico conſenſu ita conſpirarunt, vt inter ſummas imasque mutua ſit conſtanſque concordia, quin communes ſuam ipſarummet eſſentiam inſinuent in inferiores ſubiectasque, quô licet quæque ſuis conſtet axiomatis & forma, nihilominus participent communi quadam copula, virtute ſubſtantiali diſperſa in ſingulas, quo pacto de virtute mundana commentatus eſt Plato, & Ariſtoteles de ſeminario generationum principio pulchrè diſſeruit. Non immerito ſumma laude affecit philoſophiam Timęus dū ſcripſit, illo bono nihil vnquam maius mortalium generi datum eſſe Deorum munere, nec datum iri. Quæ enim laudabiliter & præclare in ſuperioribus artibus ſunt inuenta conſtitutaque, eiuſmodi ſunt, vt nihil inueniri porrò poſſit quin inde dependeat, & ante corpus ſuum pridem in rerum natura exiſtat anima, quod de nobis, aut omnino animalibus pronunciauit olim Socrates: quę res poteſtne ab alio profectò eſſe principio quam ab eo, cui ante omnia, meditata perſpectaque fuerunt cuncta? Pollutæ quidem artes ſunt multæ deprauatorum ingeniorum corruptelis; attamen in

 ſingulis

ſingulis elucet τὸ θεῖον, & verorum præceptorum virtutes non poſſunt omnino occultari. Quid vero mirum inquinatas eſſe? Omnia humana par inuoluit infortunium. Quanta iucunditas erit quantum oblectamenti cum, quod Plato de virtutibus exoptauit vultus ſpeciesque earum contemplabimur ſynceras infucatasque? Sed ne te multis detineam, chymian admiratione diuinæ originis & præſtantiæ non vacuam, animæ philoſophicæ ita cognatam aſſero, vt & eſſentiæ congruat & eidem alterique. Non enim poterit quiſquam numero ſcientiarum eam eximere, quanquam non defuerint homines importuni, qui hoc honore priuare illam ſunt anniſi. Fuſa itaque erit illa artificioſa, & ſcientifica ſcintillula & vigor animalis etiam per eius ſyſtema. Hinc quicquid habet genuini; iudicio philoſophico congruet; & ab eodem æſtimabitur; quicquid vero fatali quadam iniuria irrepſit adulterini; arguetur legibus eiuſdem. Non arbitrabitur in philoſophia exercitatus, artis huius fundamenta nihil commune habere cum ſolennitate philoſophica, quanquam homines extiterint, qui nihil ei aſſcripſerint niſi myſteria, & tam abſtruſa, vt nec intelligi nec cognoſci multo minus explicari queat humano more, ſed diſcenda ſit in ſpeluncis Vulcaniis ad exemplum magicarum ſuperſtitio-

ſtitionum à ſingulariter accerſitis geniis. De arcanis ſalutis noſtræ certum eſt, nos nihil ſcire niſi manifeſtante ſaluatore, qui ex ſinu Patris ad nos detulit veritatem. Sed non eſt ita in chymia. Non diſſentiunt huius axiomata à catholicis phyſicæ. Non admittitur vacuum & dimenſionum penetratio in vniuerſali natura. Sed nec in chymia. Abhorret mundus infinitum. Idem nec chymiæ placet. Neſcit Archimedes æquale circulo conſtituere quadratum. Chymicus non didicit idem. Si verè ſcripſit Ariſtoteles circa Siciliam aquæ ſtagnum eſſe, in quo ſi quis aues cœterave ſuffocata animalia intinxerit, recuperent vitam; chymia id non refellit. Si item verum, quod ſecundum naturam à priuatione vitæ ad eius habitum non detur regreſſus; comprobat chymia idem. Atqui inquiet quiſpiam, aſſerunt chymici multa in ſua arte ineſſe, quæ reliquis planè ſint miraculoſa, quale eſt, inueterata renouare, morbos deploratos perſanare; integram illæſamque valetudinem vſque ad præſtitutum diuinitus terminum conſeruare; quoſdam iamiam animam exhalaturos momento ex faucibus orci & cymba charontis reuocare; circulum quadrare; rerum ſpecies præſertim in metallis transformare, & omnino nihil non diuini ferè ſibi arrogare, vt ſaluatoris miracula chy-

micorum promiſſis collata miracula eſſe deſinant. Sed intelligunt prudentes artium præſtantium prætextu multa obrepere vana, falſaque. Videri voluit paracelſus principia & elementa phyſica mutaſſe, ſuppoſito ſale, ſulphure & hydrargyro : idem humores Galeno & Hippocrati confeſſos, ex medicina extirpare, & ne quidem in humano corpore ferre; axioma ſanationis per contraria in contrarium transformare; cauſas morborum & ſanitatis ex mineralibus petere abiectis veterum explicationibus & ſimilia multa. Sed delirium hominis arguitur rerum euidentia. Licet quidem metaphoris res obſcurare inter loquendum. Sed ideo non mutatur natiuus earum vultus. Terra eſt terra & principium corporis miſti, etiamſi paracelſus eam vocet ſalem. Circulus humano ingenio non quadrabitur, etiamſi Londinas & alii id affirment, non reſpicientes iſtam Geometricam deſignationem, ſed ænigmaticè aliud quiddam repræſentantes, quo pacto in hieroglyphicis equus alatus fingitur, quem tamen natura prorſus ignorat. Si qui chymici parabolis ſunt vſi, earum interpretatio dependet ex natura quæ eſt inueſtiganda. Si qui commenta inania deblaterarunt, iis ne debetur quidem chymiæ nomen vtpote planè explodendis. Ne ergo abhorreant à ſana arte philoſophi, ſed eam pro ſua agno-

ſcant

ſtant poſſeſſione, vt quæ corpori philoſophico ſecundum eſſentiam & identitatem ſit incluſa, propriis vero præceptionibus à partibus eius aliis ſecluſa, ſicut membra corporis animati & eadem ſunt & altera & vnitate ſubſtantiæ conueniunt. Hæc tu, mi Caſpare, num confirmas tuo calculo? Imò non aduerſari multiplex tua teſtatur eruditio, & in iudicando acumen præſtans, cum ſingulari dexteritate coniunctum. Gaudebo, ſi conſenſeris, meque tuo iudicio roborabis. Vale.

EPIST. XXVI. ARGVMENTA CHYMICARVM operationum ex Ariſtotele.

AD CELEBREM PHILOS. ET MED. Caſparum Bauhinum Anatomicum, & botanicum Baſileenſem.

QVOD veterum ſermone pronunciatum iam in vſu eſt oreq; omnium prouerbium artium nempe verarum vtiliumq; omnium vnam eſſe copulam, id in chymia arteq; naturæ & vtriuſq; interpretibus ſeu commentariis perſpicuè elucet. Vt enim de aliis taceam, Ariſtotelis volumina, quæ ille de natura reliquit poſteritati à nullo tam intelligi declararique poſſunt quam bono chymico; nec qui chymian docet diſcitve in ea bene verſatur niſi Ariſtoteleis, quæ eadē

ſunt naturæ ab illo interprete expoſita, principiis ſit munitus. Non opus eſt ad te, vir præclare, prolixa demonſtratione. Tu enim ipſe dicti veritatem intelligis. Sed vt me te cenſore confirmem, proponam tibi cogitationes meas, quibus non tantum operam illam mutuam cuinci poſſe arbitror, ſed & Ariſtoteli ipſius ſcientiæ chymicæ non pauca deberi principia & operationes. Qui in chymia elaborant, non rarò comperiunt, quod igni leni moderatoque per aſcenſum vaporum ab extractis ſuccis inſipida quędam aqua, quam phlegma vocant, ſegregetur, ita vt nihil deprehendas in ea ſeu ſubſtantiæ ſucci, ſeu qualitatum quod ſit admodum memorabile. Quod ſi ignem intendãt, aut etiam ſemel euocatum liquorem refundant ſæpius, iterumque educant; iam non ſimplex egreditur aqua, ſed ſapiẽs naturam rei, & interdum etiam oleum ſeu balſamum intimum ſecum euehens. Horum principia cauſasq; ſolerter admodum expoſuit philoſophus cum de mari & pluuiis diſſeruit. οἶνος inquit, καὶ παντὲς χυμοὶ ὅσοι ἂν ἀτμίσαντες πάλιν εἰς ὑγρὸν συςῶσιν, ὕδωρ γίγνονται. πάθη γὰρ τἄλλα διὰ τινα σύμμιξιν τοῦ ὕδατός ἐστιν, καὶ οἷον ἄν τι ᾖ τὸ συμμιχθὲν τοιοῦτον ποιεῖ τὸν χυμόν. Vinum cum euaporet cogiturque iterum, in aquam abit. Cauſam reddit ille, quia aqua fuerat materia, cui certo modo commiſtæ partes terreæ aut exhalationes,

nes,gignunt affectiones reliquas. Itaque in ſeparatione redit ad ſuam naturam. Sciat itaque chymicus hoc ipſum ſuo congruere operi. Nec obſtat quod ex vino elicitur aqua non inſipida,ſed calida, ardens, ſapidaque valdè. Cautè loquitur philoſophus per vocem ἀτμίζοντες, deſignare volens diſcrepantiam inter opus hoc, & opus ἀναθυμιάσεως. Hæc cum vna eleuatur, non ſimplex egreditur aqua, ſed miſta; idq́, magis ſi ignis reſoluens eſt violentior. Inde enim philoſophus rationem petit, cur autumno cadāt guttæ ampliores, & cur ventus ſua natura frigidus euadat calidus, curq́; pluuiæ aquæ nonnihil ſint ſalſæ. Auſter, inquit, ὅθεν ἄρχεται πνεῖν ψυχρὸς, ὅθεν ἧττον περιιὼν διὰ τὸ συμπεριλαμβάνειν πολλὴν ἀναθυμίασιν ξηρὰν ἐκ τῶν συνεγγὺς τόπων, θερμὸς ἐστιν. Eadem miſtio terreæ, ſiccæq́ue exhalationis etiam reliquorum ſecus affectorum cauſa eſt. Hinc præclarum naſcitur chymico πόρισμα, nempe interuentu aquoſitatis poſſe quam commodiſſimè ſiccas partes easq́; nobiliſſimas eleuari,&deinde modico igni ſegregari iterū. Deinde quod, qui velit penitius ſoluere & efficaciores aquas producere,illum oporteat igni vti paulo efficaciore, & eundē liquorem ſæpius reponere, quo ſoluta integri compage, fidelius eliciatur eſſentia. Nam aliter non aſcendet niſi maximo igni qui non conuenit chymiæ. Vides itaque ex-

perientiam chymicam confirmare Ariſtotelicum axioma, & viciſſim inde lucem artiſque ſuæ principia petere. Ita deprehendit artifex, quod crebrioribus aut validioribus agitatum ignibus acrius euadat ſemper, tandemq́; eò perducatur acuminis, vt non niſi in parua quantitate poſſit adhiberi, quando in ea obtineat vires penetrantiſſimas. Huius ſi petit cauſam; axioma Ariſtotelicum inſpiciet, quòd habet: πάντα ὅσα πεπύρωται ἔχει δυνάμιν θερμότητα ἐν αὐτοῖς. Agens enim naturale paſſum ſibi conforme reddere ſatagit; & in calore igneo eſſe penetrantem acremq́ue naturam non eſt obſcurum. Si idem ſeparationem quandam ſubtiliſſimam ſine igni expetat, & quo pacto magna muriæ debilis quantitas ſine ſumtu poſſit reuocari ad paruam; ex eodem autore diſcit, aquam marinam, muriamq́ue terrearum partium & aquearum miſtura conſtantes, cereo colo ſegregari, ita vt per capſæ ex cera latera transſudet humor aquoſus relicto ſale. Compendioſiore itaq; via & minus ſumtuoſa ex lixiuiis eliciet ſales, & ea promtius coagulabit. Ita non negabit philoſophum expertem fuiſſe rerum chymicarum, cum ſatis notum habuerit quo pacto ex muria fontium, ſtagnorum, fluuiorumq́ue ſal coagulando fiat. Ita enim inquit de chaonibus: τούτου τοῦ ὕδατος ἀφέψοντες τι μέρος τιθέασι καὶ γίνεται ψυχθὲν, ὅταν ἀπα-

τμισθῇ

τμίσῃ τὸ ἰχὸν ἅμα τῷ θερμῷ ἅλες. Nemo neget fortaſſis ſales quos Alkali vocant, ad chymicam pertinere officinam. At eorum modum deſcribit idem philoſophus his verbis: ἔστι τις τόπος ἐν ᾧ πεφύκασι κάλαμος καὶ σχοῖνος. τούτων οὖν κατακαίουσι καὶ τὴν τέφραν ἐμβάλλοντες εἰς ὕδωρ ἀφέψουσιν. ὅταν δὲ λίπωσί τι τοῦ ὕδατος; τοῦτο ψυχθὲν ἁλῶν γίγνεται πλῆθος. Quod ſi quęrat horum rationem: præſto eſt philoſophus reſpondens ignem in materia elaboraſſe, eiusq; eſſe reſtinctum principiú; terram autem retinuiſſe affectionem, & manſiſſe velut cinerem & calcem. Per hâc cum colatur humor; liqueſcunt glebæ, tenuiſſimæque partes ab igni affectæ vnà egeruntur aquæ commiſtæ. Hæc ſeparata denuo, ſalem vel calcem relinquit. Ne verò putet in terra iſtud fieri non poſſe, cum teſte philoſopho ignis hanc ſphæram fugiat; ex eodem alia inſtruitur ſententia, quæ aſſerit in terra multum exiſtere ignis, multumque caliditatis. Notum eſt in chymica deſtillatione aquas fieri per vaporum concretionem: Fieri alias per corroſionem; alias per colliquationem. Hæc ipſa Ariſtoteles ita enunciabat: τὸ ὑγραίνεσθαί ἐστιν ἓν μὲν τὸ ὕδωρ γίγνεσθαι συνιστάμενον (quod nihil eſt aliud quam id quod in deſtillationibus vſitatis euenit) ἓν δὲ τὸ τήκεσθαι τὸ πεπηγός (quod fit in corroſionibus, & ſalibus calcibusque cellarum humore aut balnei diſſolutis, quanquam craſſi-

craſſiore modo eueniat etiam in liquationibus metallicis, & glaciei ſimiliumque tabe.) Patet ex Horatianis odis veteres olim in Italia ſolitos vina nobilia vtribus aut teſtis includere, eaque non in cellis ſubterraneis condere, ſed in fumariis locare, vt ita fumo bibito paulatim abſumta aquoſitate excoquerentur optimaque euaderent virtute, & conſiſtentia nonnihil ſpiſſa. Eſt quidem hoc exemplum coagulationis chymicæ, per quam ſucci è rebus per humorem extracti ſolideſcunt. Sed philoſophus non tantum id nouit, verum & cauſas addidit, cum ſcripſit: οἶνος τις καὶ πήγνυται καὶ ἕψεται οἷον τὸ γλεῦκος. ἀπέρχεται δὲ ἀπὸ τούτων πάντων ξηραινομένων τὸ ὕδωρ. Succos extractos nomine muſti deſignat. Operationem nominat coctionem, cuius finis eſt coagulatio. Modus operationis eſt exiccatio per diſceſſum aquæ. Quod autem non in ſe conſidant, ſed aqua reuera egrediatur arguit experientia. ἡ γὰρ ἀτμὶς, inquit, συνίσταται εἰς ὕδωρ ἐάν τις βούληται συλλέγειν. Conſtantius Varolius, cuius anotomian tibi nõ improbari puto, deſtillationis artificium exortum putat ex analogia fabricæ olfactus. Cum enim aër halituſque ex amplo per anguſtum elati, locoque concluſo excepti, vi frigoris concreſcunt in guttas, & tandem referuntur; deſtillationẽ appellamus. Iam autem ex aëre per nares attrahimus ſpiritum, qui ſi vapidus valdè eſt, & pro-

Vina fumo macerare.

& proportione magnitudinis cerebri capacitatem excedit, coagulat. Deſtillationis itaque ingeniū repræſentat. Philoſophus autem rem explicat longè, mea ſententia, ſolertius cum ſcribit: Fluxiones ob eam rem ex capite oriūtur in iis corporibus, quibus cerebrum frigidius eſt, quam temperamentum modicum poſtulet. Cum enim alimētum per venas ſurſum reſpirat, vbi excrementum ob eius loci vim refrigeratum eſt, fluxiones pituitæ, ſaniemq́ue mouet, quod ſimile generationi imbrium euenire intelligendum eſt, quoad magnum cōferre cum paruo licet. Cum enim ex terra vapor exhalat, effertur que in ſublime à calore, vbi ſupernum aërem ſubierit frigidum, conſiſtit denuo in aquam propter refrigerationem, atque in terram defluit. Hæc ille. Quantum lucis poſſit huic loco afferre ex ſua arte chymicus? Sed & quantum euidentiæ ad reddendas ſuorum operum cauſas indidem retulerit? Taceo cauſas efficientes reſolutionis & coagulationis; taceo materiam formamq́ue operationis: ἐγχειρήματα, quæ non quiuis attendit, ex eodem ſuppetunt loco. Qui adhuc rudimenta artis tractant tyrones; liberales admodum ſolēt eſſe in ignibus admouendis, parum penſi habentes quorſum tendat calor. Monet philoſophus eam proportionem in eleuando obſeruandam eſſe, vt calor non prohibeat coagu-

2. de part. anim. 7.

coagulationem,ſitq; locus huius ad locum materiæ frigidus. Hæc cauſa eſt cur eleuetur collum cucurbitę. Quod ſi nihilominus flamma intenſior requiritur; arte frigiditas capiti prę ſtanda eſt. Hinc exorta eſt ſerpentinarum & doliorum, quin & veſicarum refrigerantium induſtria. Si cauſam quæras quare ſtatim manet liquor roſtro producto & per brachiorum multiplices gyros variè diſtributo; ex refrigerandi præſentia efficaciaq; eá iuſtè petas. Secus euenit in his quæ canales habent curtos igniq; ſunt propiora. Ná & difficilius cogitur vapor, & minus aquæ tardius profluit. Manum itaq; chymico dextram porrigit Ariſtotelea philoſophia, ſicut viciſſim hæc ab illo quam euidentiſſime poteſt in naturæ operibus illuſtrari. Negant quidam pertinaciter philoſophum iſtum quicquam eius artis ſciuiſſe. Si intelligunt integram conſtitutamq; & omnibus præceptis elaboratã, nõ abnuerim. Si verò omnibus artibus è tenui impfectoq; eſt origo; ſi etiam euenit vt diſperſa paſſim ſint pręcepta antequã vnita in artis formam redigantur; tantũ non cõſenſerim, vt confidenter pronunciẽ potiſſimorũ principiorũ explicationes Ariſtotelicis cõtineri ſcriptis. Neque id operoſum demonſtratu eſt. Non placet quidẽ coniectura eorum qui librum quendã de artificio lapidis titulo Ariſtotelis citãt, eumq; quintũ meteororũ faciunt. Vix

enim

enim vero eſt conſentaneum Stagitæũ philoſophum peripateticæ diſciplinæ principem iſtum compoſuiſſe, quanquã alius forte fuerit eiuſdem nominis, niſi ſuppoſititius fœtus eſt; veruntamen aliquid ad eum perueniſſe nõ dubitarim. Is enim fuit ad quem ex toto oriente & meridie tãquam ad mare ſcientiarum, quicquid vbiq; potuit deprehendi congeſtum eſt. Originem ſuam traxit chymia ex metallurgia, quam penè totã deſcripſit Geberus. Ariſtoteles autẽ paſſim oſtendit ſe illud ſtudium non neglexiſſe, prçſertim cum foſſilium & aquarum mineraliũ naturam præceptis cõprehendere inſtitueritt, quod fieri non poteſt ſine ſingularium, quæ vniuerſalibus ſunt priora, cognitione. Sed non ſunt tanti qui nobis aduerſantur. Ego tibi, quod ſentio, aperire volui, nec dubito quin rectè ſis accepturus. Vale.

Poteſt tamẽ & cõuerſim eſſe, &c.

EPIST. XXVII. DE GALENI VOTO, QVO AIVNT EXOPTASSE EUM SIBI CHYMICAS SEGREGATIONES IGNOTAS.

AD CASPARVM BAVHINVM PHIL. Med. anatomicum & botanicum Baſileenſem.

FVNDAMENTA & principia artis noſtræ Deum quidem habere autorem, primis patribus vim ingeniumque cum optima propter vitæ prolixitatem manifeſtandi

feſtandi experiundiq; & comprobandi occaſione ad eam conſtituendam liberaliter elargientem, confitemur rectè: ſed cum poſterioribus ſeculis prauitate hominum & pœnis partim fuiſſet obſcurata; partim diſperſa, adeo vt penè noua fuerit ad inueniendum obſeruatione opus; quandoquidem & in Ægypto vetuſtiſſima diſciplinarũ poſt orientem nutrice, vt ex Herodoto videre eſt, nihil admodum egregij de ea conſtitutum legitur, & Homerus tẽpore Troiani belli chirurgian potius exultam memorat, quam partes alias; Hippocrates autẽ Cous in Græcia primus extitit, qui præcepta per manum quaſi à familiaribus & aliunde accepta, ſuisque animaduerſionibus & experientia aucta, ſtabilitaque conſcripſit, & in artis quodammodo corpus redegit: haud ſtultè nos facere opinor, cum ad illum principem ſcientiæ medicæ conſtitutionem reuocamus. Hic, quæ reliquit ſcripta poſteris, ita vera ſolidaq; deprehenduntur, vt, cum omnia vetera arroſerit Paracelſus, iuſſeritq; ſe ſequi antiquos & nouos; tamen Hippocratica quædam nõ auſus fuerit improbare, quanquam ea neget Galeno intellecta. Eiuſdem ſententiæ eſt & Raimundus, qui interpretaturus illud θεῖον in morbis, nõ erubeſcit illum ſenem in chymicum transformare, qui iſta voce notauerit non morborum cauſas, conditionem & euen-

euenta occulta mirabiliaque, ſed remedio-rum ad quintam eſſentiam adductorum prodigioſam efficaciã. Non poſſunt carere tanto autore chymici. At non ſemper videtur loqui Paracelſicè. Quocirca vt & Paracelſitis honorem addat, diuidunt illum quidã in nothum & genuinũ, qua de re alibi mentionem feci. Verum non eſt vt Paracelſici eo glorientur duce. Tantum abeſt ab ipſorum ſtolida diſciplina, quantum verum à falſo, & à ſpurio τὸ εὐφυές. Noſtrorum quidam coniiciunt eum, quãquam nec exercuerit chymian nec deſcripſerit, tamen nõ fuiſſe eiuſdem imperitum, propterea quod conſentaneum ſit a Salomone ſcientiã ad ipſum perueniſſe. Sed nõ opus eſt diſquiſitione multa. Cum chymiæ fundamenta ſint eadem cum naturæ primordiis, nec diſſentiant ab axiomatis veræ medicinæ: concedenda ſeni noſtro eſt, ſi non ſingularis notitia & χειρουργία; attamen vniuerſalis ſcientia, & principiorum intellectus. De Galeno res eſt contentioſior. Omnia videntur concedere poſſe Paracelſitæ. Galenum quid chymiæ cognouiſſe, donare neutiquam poſſunt. Cum hoc eſt bellum planè ἄσπονδον. Ex reliquis chymicis, quos veros appello artifices, vt diſcernantur à veſania Paracelſica, non deſunt, qui & huic tribuunt plurimum, idque non immeritò. Si enim Galenus non tantum Hippocratis eſt fideliſſi-

mus aſſecla & interpres, verum etiam omnis ſcientiæ medicæ remediorumque indefeſſus explorator; quis dubitet Hippocrate chymiſſante (vt ita loquar) Galeno eius artis cognitionem aſſignare? Bernhardus certè comes, cuius liber de Hermetica philoſophia ſuperioribus annis opera Michaëlis Toxitæ in publicũ prodiit, non tantum inter inuentores cultoreſque artis numerat Hermen, Pythagoran, Ariſtotelem, Alexandrum, Platonem, Auicennam, Halin, alioſq; permultos; ſed & Hippocratem Galenumq;, quaſi & hi ſciuerint non modo deſtillare, ſed & lapidem aurificum fabricare. Fides huius penes autorem eſto. Cum Paracelſicæ veſaniæ à noſtris obuiam itum eſt, quanquam ruditas & achymia Galeni creberrimè fuerit oppoſita; tamen non eſt dubitatum, quin ex illo ipſo etiam pro ſpagiria Paracelſica peteretur argumẽtum. Aiunt enim hoſtes veritatis, nos perperã oppugnare feces Paracelſicas, quandoquidem Galenus voto ſuo eas cõprobarit, cuius deſiderio motos nos oporteat ſimiliter παρεγκελσίαι abſentem quidẽ exoptare, præſentẽ verò cum magna gratia exoſculari: Illum caput vitamq; ſuã neſcio quibus nõ aſtrinxiſſe periculis, quo ea, ſi vſpiam eſſet, potiretur; nos debere eam longè procliuioribus paratioribuſq; amplecti vlnis, vtpote quibus ſine vitę diſcrimine euenire poſſit. Quid tibi

hîc

hic,vir præclare,eſt ſententiæ? Putáſne aut Paracelſicos nobis ſuam artem notam velle, cum non tantum occultent eam ſtudioſius vllis eleuſyniis, ſed & apertè negent margaritas ſuas proiiciendas nobis porcis; aut Galenum paracelſian exoptaſſe? Crediderim quidem ei veram artem quadamtenus fuiſſe notam. Si enim vſpiam eius ætate fuit; & Galenus vel formam ſcientiarũ & remediorum etiam in remotas terras eſt perſecutus: non certè fuerit eius ignarus. Sed Paracelſica deliria quî potuit voto petere? Sed producatur ille locus voti Galenici. Impoſtores Paracelſitæ ita citant eum, quaſi ſcripſerit ſe omnia pericula ſubiturum,ſi quam machinam aut artem inuenire poſſit, vt, ſicut in lacte contrariarum partium fit ſeparatio,ita in medicamentis idem experiri poſſit. Verum ego primum neque votum ex Galeni verbis agnoſcere poſſum, neque deinde periculum, neque tandem talem ſeparationem qualem vſurpant chymici,licet non negem Galeno artificia ſimilia fuiſſe nota, vt nec ignota principia. Verba in 1.Simpl.med.cap.17.ita habent: ἐν τοῖς τῶν ὑγρῶν φαρμάκων μάλιστα περὶ ὄξους ἠμφισβήτηται, τῶν μὲν ψυχρὸν εἶναι λεγόντων αὐτὸ, τῶν δὲ θερμὸν, ἐνίων δὲ τινὰ μὲν θερμότητα διδόντων αὐτῷ, τινὰ δ' ἀφαιρουμένων, ὥσπερ οἱ λέγοντες οἶνον τεθνεῶτα καὶ νεκρὸν εἶναι τὸ ὄξος. οὗτοι γὰρ ἀπολωλεκέναι μὲν αὐτὸ φασὶ τὴν οἰκεῖαν οἴνου θερμότητα, ἐπικεκτῆσθαι δὲ τι-

να προσειληφέναι. καὶ ἔγωγ' ἂν ἐπῄνεσα τὴν γνώμην αὐτῶν, κᾀξ ἑτοίμου προσηκάμην, καὶ συνεκινδύνευσα περὶ τὴν ἀπόφασιν τε καὶ δόξαν, εἴ τινα μηχανὴν ἐξευρεῖν ἠδυνάμην, ὥσπερ ἐν γάλακτι τῶν ἐναντίων μορίων τῆς διακρίσεως, οὕτω κᾀν τῷδε. Hęc Galenus. Cum diſceptaret de natura aceti, dicerétq; aliqui, quaſdá ei partes ineſſe calidas, quaſdá frigidas, vtpote cũ veluti intermortuum vinum eſſet, in quo non planè extinctum eſſet ſeminarium caloris: Galenus laudata hac ſententia, vltrò acceſſit eius autores, & vnà cum illis periculum fecit attẽtando poſsétne inuenire artificium quoddam, quo ſegregarentur eius partes calidæ à frigidis eo modo quo euenit in lacte. Hãc eſſe mentem Galeni ad verbum expreſſam qui non videt, non intelligit Gręcè loquentem. Hic vbi votum? vbi diſcriminis & periculi ſponſio? vbi ſeparatio chymica? Tale quærit artificium ſegregationis, quale eſt in lacte. Huius tres ſunt ſubſtantiæ. Vna pinguis, quæ vel ſponte emergit, abſque vlla arte. Alia ſeroſa; tertia terrea, vt caſeus, quæ duæ ſeparantur vi aceti, aut coaguli ſimiliúmve, quanquã diuturnius aſſeruata item ſecedant vltrò, & cum calefacta pani affunduntur, modo lac non ſit recens, non vnà manent. Itáne chymici ſegregant? Dicit quidem Galenus in aceto nec inuentum eſſe quippiam tale, quale in lacte, neque euidenter demonſtrari poſſe; at vbi negat ſegre-

ſegregationem omnem? Quin imo illo ipſo in loco exponit modum ſibi perſpectum, & chymiæ conſentaneum, vt videas hinc Galenum, licet lactis διάκρισιν nouerit, eam tamen pro approbata poſtea chymicis ratione non habuiſſe. Quem ergo modum adducit? Quiddam ait innatare, quod ſit aquoſum & frigidum; quiddã ſubſidere inſtar fecis in vino, quod ſit calidum: additq́;: μόνως γὰρ ἂν οὕτως ἐναργῶς ἐπιδείξειέ τις ἐξ ἐναντίων ταῖς δυνάμεσιν συγκείμενον αὐτὸ μορίων ὥσπερ τὸ γάλα; idq́; aſſerit in omni expreſſo annotari ſucco. Ecce tibi modũ ſeparationis Galenicæ, quæ ferè γνήσιος eſt chymiæ. Nam chymici quo pacto ſegregant? Includunt cucurbitæ acetum, ignisq́; beneficio primũ exugunt parté aqueam, quam phlegma appellant, & more aquæ frigidum humidum ſtatuunt. Inde valentiore calore ex fecibus eliciunt acetum radicatum aſperrimæ eiuſq́ue calidæ admodum virtutis. Quod Galenus ratione eſt aſſecutus, id expediunt chymici inſtrumentis. O ergo procul abſenté à chymia Galenum; O ſe deuouentem & periculi alligantem. Lactis autem vſitatum ſeceſſum non eſſe chymicũ, quiuis videt. Sed & verè chymicũ non ignorauit. Nam deſtillaturi lac ſpagyri, illud putrefaciunt coguntq́ue diſcedere prius. Galenus ignorarítne ſeparationem partium per putredinem, qui tamen ἀνομοιομερὲς ſtatuit, & ex ſentẽtia Ariſtote-

ſtotelis de putredine eſt commentatus? Ecce iterum λόγῳ & arte habuit, quod operarij exequuntur laborando. Contrarium ergo concludatur ac parachymici volunt, néque cogitaſſe quidem Galenum an non ita vt lac poſſint ſegregari ſucci; ſed cum hoc fieri non poſſe videret, chymicam rationem probè intellexiſſe. Sed & non adeo difficile erat filtro elicere innatantem aquam, parteſq; calidas ſeorſim capere. Ingenioſiora ſunt chymica inſtrumenta. Fateor, ſed non ideo non eſt chymicum quid plane, ſi non tam ſit ingenioſè. Nihil ſimul inuentū vbiuis & exculrum eſt. Concedunt Paracelſitæ exemplum ſpagiricæ ſeparationis lac eſſe, quod tamen non vſque quaque placet: qua fronte negant Galeno notam omnem ſpagirian? Quod autem nihil admodum dignū chymia ſit in ſeceſſu lactis arguit leuis eius concretio, & potius confuſio, quam Galenus non ignorabat. Ait enim non plane eſſe ὁμοιομερὲς, quod tamen omni vero miſto cōuenit. Donemus itaq; Paracelſitis iſtud artificium, & inde vtilitatem ruſticamque noticiam arguamus. Galeno verò noſtro tribuamus aliquid ſublimius & magis induſtrium. Hæc ego iam ad te exarare volui, iudicioque ſubmittere tuo. Non dubito quin gratum fecero.

Vale.

EPIST.

EPIST. XXVIII. DE ARGVMENTIS ET CONIECTVRIS, quibus conſtet quodnam quomodo ſit elaborandum.

AD CASPARVM BAVHINVM PHIL. Med. botanicum & anatom. Baſileenſem.

EST apud Theophraſtum in metaphyſicis quæſtio quædã non iniucunda, vtrũ nempe omnia fiant finis alicuius gratia in natura, an verò quędã temerè & neceſſario. Ariſtoteles quidem ſępe vſurpat hoc, quod Deus & natura nihil faciant fruſtra. At tum ipſe agnoſcit cauſam fortuitam, naturæque mõſtra: tum diſcipulus Theophraſtus quibuſdã exemplis temeritatẽ probat. Quorſum enim, inquit, ſunt fluxus maris & refluxus? In ipſis etiam animalibus multa exiſtũt temeraria, veluti maſculorũ mammę, & pilorũ quibuſdã in locis productiones; & alia non pauca quiſpiã deprehendat eiuſmodi. Hęc multis Theophraſtus. Cogitaui ſimiliter de externo rerum vultu, ſitne is à natura pductus ad indicandũ virtutis internæ habitũ, emolumentũq; an verò nihil pclari inde poſſit colligi. Huic quęſtioni finitima eſt alia, qua inquirimus qdnã in chymicis operationibus ſit ſequẽdum; fortuitóne ſegregationes apparatusq; inſtituẽdi, an ad arbitriũ conſenſumq; artificum ſolo vſu rerum

abſque naturæ argumento inuentum comprobatumq́; confugiendum;an verò etiá in natura ſit aliquid indicij certi, quo diſcamus operandi moré,&ex quo ſit facienda medicina ad caput vel ad pedes; ex quo ité oleũ, aqua, puluis. Non deſunt qui nihil horum attendendum putant; ſed operandũ ſecundum artis leges. Naturá enim ipſam poſtea vnumquodq; accõmodare ſuo mébro citra noſtram curã; euadere etiam vnumquodq; ita, vt per naturam eſt adaptatum. Itaq; iudicant ſi facta ſit medicina ad caput; eam ſpõte ſua pectori nõ inſeruituram, natura gaudéte natura, & ſibi familiare attrahéte. Hos oppugnãt alij, qui nihil diſcriminis ſtatuũt, opinãtes omnia eſſe accommoda omnibus, & quod vni parti nocet, non parcere alteri; quod vnam purgat, idem totum. Itaq; gloriantur de vniuerſalibus purgationibus & auxiliis. Neutri horũ indigent ſignatura rerũ. Alij ſigna rerumq́; notas neutiquã contemnunt, ſed omnia quę in externo mundo ſunt ad hominé ita referunt, vt caput capiti, epar reſpõdeat epati, vitriolum vitriolo, ſal ſali. Itaq; foris quærunt corda humana, cerebrũ, pulmones & reliqua. Quod tam rarum apparet vt pulmo, id huic ſocium & familiare faciunt; quod capitis cerebriq́; repræſentat effigié, id cerebro; quod maculas rubeas obtinet, id ſanguini addicunt; quod mentulæ & teſticulorum formam refert; id conci-

conciliant his ipſis. Graui iudicio videtur res egere, quodnam ex his tanquam verum ſit ſequendum. Non refellam iam ſententiarum abſurditates. Quid ſentiam ipſe in tuo deponam ſinu. Fortuitum abſolutè vix quicquam eſſe iudico. Vt enim logici aiunt, fortunā cauſarum ignoratio peperit. Quodammodo verò, πρός τι καὶ κατά τι aliquod eſſe nihil prohibet. Cum enim philoſophus τὸ τινὸς ἕνεκα ita contrahat, vt tantum videatur in naturalibus agnouiſſe: Inquit enim Rem à materia abſtractam nullam ſcientia naturalis contemplari poteſt, quia natura rei alicuius gratia facit omnia: rebus autem abſtractis abiunctum id eſt quod ſub hoc τινὸς ἕνεκα, verbo intelligimus: certæ artis reſpectu eiusque phyſicæ dicetur fortuna, vbi per ſe quidem generatione vniuoca, nihil fit temerè; at æquiuocè & ex accidente fiunt multa. Eſt autē omnium vniuocarum generationum finis ipſa forma rei & perfectio, ſicut ipſe philoſophus iterū diſſeruit, cum ſcripſit: principatum illa cauſa obtinet, quam ſub hoc verbo, cuius gratia, ſignificamus. Hæc enim ratio eſt; ratio autem principium eſt pariter in rebus tam arte quam natura conſtituendis, quanquam naturæ operibus potius quam artis coniuncta eſt ratio boni & pulchri; & alibi: ponimus cauſarum genera quatuor; primū cuius gratia, vt finem; ſecundum ſubſtantiæ rationem, quę

1. part. 1.

quaſi vnum quoddam ferè exiſtimãda ſunt. Nã homo ideo ſic genitus eſt, quia hoc homini eſt eſſe, ſeu in hoc finis & pfectio eius conſiſtit. Ita & herba ideo ſic facta eſt, quia hoc erat ei bonum pulchrumque ſecundum ſubſtantiam. Quæ declinant hinc, vt monſtra, quanquam ſuas & hæc habeant cauſas, & ſic abſolutè non ſunt fortuita; tamen in fortuitis habentur, quia præter rationem ſolitam naturæ perfectamque vltimo, ſunt genita. Ex hac ſententia aurum non genitum eſt ita quia cor eſt hominis; ſed quia hoc auro eſt eſſe. Si qua ergo eſt analogia quorundam, qua videtur alterum eſſe alterum, vt argentum, hominis cerebrum; ea nec principalis eſt, nec perpetua. Qui verò chymicus ſcire cupit quodnam cui conueniat, & quodnam ex quo ſit comparandum; is vtatur ſenſibus ſuis & ratione, & ſæpè experiundo certitudinem venetur. Axiomata phyſica de materia naturali in vniuerſum teſtantur, quod ſit omnium formarum naturæ ſuſceptiua. Sed cum non inueniatur niſi informata ſingulariter; in hac autẽ potentia mutationis interdum remota ſit, interdum propinqua; prudenter coniiciet, ad quidnam ſtatim procliuis res ſit, & ad quid non niſi per longas mutationes perueniri poſſit, & quo accedere ſit artifici impoſſibile. Deinde contemplabitur virtutes maximè ſecundum guſtum

ſtum & tactum; proximè odorem & colorem. Inueniet hinc quod nam elementum & quod elementare;& hoc vel proximè vel remote. Quæ ergo in aërem, quæ in aquam, terramve poſſint aptè deduci,nouerit ſimul.Ita diſcernet inter oleoſa,ſpirituoſa,odorata,ſapita & cætera.Si deprehendet vni plures adeſſe δυνάμεις; nec tamen ſeparare volet craſſa à ſubtilibus; quanam forma commodè poſſint donari per artem deliberabit. Adiuuat hanc cōſideratio nem vtēdi artificiū. Si enim calidū ſiccū requiras; non ſtudebis aquæ; ſi penetrans; negliges craſſum,& ſic deinceps.Vbi certus es de ratione vſus;ars mōſtrat operationē & proæreſin dirigit. Ita in miſtis ſunt duo corporis principia, quæ poſſunt inde exire denuò. Hæc in ſe mutuo trāſmutari queūt. In multis ſunt diuerſæ humiditates,vt in plantis & animalib. In radicali craſis cū virtute ſpecifica conſiſtit.In elemētari parū ineſt.Plus in alimētaria quæ iam immutata eſt quodammodo.Ita diſcretę ſunt craſes oſſiū,carnium & reliquorū.Obſeruatū itē eſt quædā durare,quædā fugere certo apparatu;Quædā ſic elici, quædā aliter.Omnino pōdus, leuitas, raritas,craſſities,& reliquę affectiones monent,ſitne calx & ſal, an humor efficiendus, calx ēt & ſal promte abeūt in liquores.Itaq; p ea ad hos iter eſt. Ita conſiderabitur fortis miſtio & leuis; fixitas & fugacitas homœomeria

meria & heterogenia, vapor & halitus, quorum omnium naturã probe perſecutus eſt in 4. meteor. philoſophus. Quæ verò indicia ex medicina ſummantur; patet ex catalogo ἐνδείξεων auxiliiq; modo. Adulandum nonnunquam ægroti palato & naribus eſt. Reliqua patefacit ars ipſa & induſtria vtentis. Ego tibi plurib. moleſtus eſſe nolo. Vale, & ſi benè ſentio, comproba.

EPIST. XXIX. AN CHYMICVS APPARATVS DEPENDEAT EX CONſIDERATIONE CHYLI, CHYMI, & ὀπῦ.

AD CELEBERR. VIRVM D. FELICEM PLATERUM PHIL. MED. & PROFEſſ. BAſILEENſEM.

AMo te, vir præclare, non tantum propter eruditionem & experientiã tuam ſingularem, ſed & inſignem qua me aliquãdo complexus es, humanitatem, quam non ſpero vllo vnquam mortali clauſum iri termino. Amo vero etiam & admiror vehementer incomparabilem virum, D. Theodorum Zvingerum familiaré tuum & amicum pridem in Chriſtum pie defunctum, poſtquam, pluſquam Herculeis in arte medica illuſtranda beneficiis affecit ſeculum noſtrum. In huius cum nuper inciderem epiſtolam ad Petrum Monauium ſcriptam

&2

& à clariſſimo Scholtzio cum Cratonianis editam, legi de chymicis quædam, quorum explicatiorem doctrinam tu proculdubio qui eius viui mentem cognouiſti, probè tenes, quamq́ue vt mihi communices per humanitatem tuam te rogo. Videri is ſibi ſcribit vt in animalibus, ſic in plantis triplicis concoctionis velut effectus quoſdam eſſe, χυλὸν, χυμὸν, ὀπὸν, licet in aliis appareant magis, quorum ſingulis ſuus inſit ſpiritus: ſinguli etiam ſolidæ parti tanquam carnibus, & oſſibus inhæreant. Exempli loco adducit vinum, quod ratione partis ſpirituoſæ, ſpiritus reficit: reſpectu ὀποῦ terrei penetrat ſuo modo & deterget: reſpectu χυλοῦ καὶ χυμοῦ ſic nutrit, quia orta à principiis vim atteſtatur ſuorum principiorum, & ex tribus illis humoribus quidam terræ, alius aquæ, tertius aëri proportione reſpondet. Addit, quod horum ipſorum ſinguli rurſus à reliquis ſeparati in partes alias iiſdem principiis reſpondentes ſeparari à natura poſſint argumento chymicæ analyſeos. Hæc Zvingerus. Non eſt obſcurum irrepſiſſe in chymian prauam quandam libidinem, ignorantiæq́; turpiſſimæ prætextum, dum quiuis delirus ollis igneq́; chymico res aggredi coquereq́; ſine modo annititur, & quicquid forte prouenit, id ad peculiarem redigit claſſem, cum magno ſupercilio de nouo inuento ſibi gratulatus, gloriatusq́ue. Huic vitio

vitio occurſurus ille philoſophus naturæ fontes monſtrat, & terminum quo ſit conſiſtendum ita vt quicquid fit vltra præſcriptum naturæ, id ab arte tanquam alienum adulterinumque exulare iubeatur. Scripſit pridem Hippocrates in corpore noſtro tria eſſe; ſpiritus, humores & ſolida, quibus inſeruire neceſſe eſt omnia quæ foris in eius accerſuntur auxilium. Tanquam enim terminus rerum poſt Deum ſit homo; omnium naturæ proportione reſpondent humanæ. Itaque & in externis eſt pars ſpiritalis; eſt humida; eſt ſolida; & ſpiritus reſident in humoribus, humores inſiguntur ſolidis, vt ita hæc ſint ſubſtrata omnibus. Humores autem non ſunt vniuſmodi, ſed triplices ex diſtinctione Zvingeriana, quos & ipſa experientia in plantis & animalibus obſeruat. Hinc euenit vt & ſpirituum genus ſit triplex, vnicuique inexiſtente ſuo. Omnis item humor inexiſtens corpori non eſt ſimplex ſed miſtus. Itaque artificio ſeparatorio ex quolibet principia poſſunt elici corporea, quæ reſpondeant naturis elementorum nempe terræ, aquæ & aëri. Probè ſanè videtur ſubducta ratio eſſe, & inuentus chymicarum eſſentiarum numerus. Pars enim ſolida, cum non tantum conſtituta ſit principio ex humoribus ſed & nutriatur iiſdem potiſſimumque chymo, ex quo tranſmutato

fit

fit ὀπὸς; ſi reſoluatur præbet initio aqueam tamq́ue elementarem humiditatem, quam chymici appellant phlegma interdum. Deinde exhibet oleoſam ſubſtantiam humori radicali cógruam, & tandem ſalem. Oleum autem duplicis eſt naturæ. Quoddam enim aëreum eſt, quoddam igneum. Itaque hinc apparet, quod aqua chymica, oleum & ſal, in ipſa natura ſint fundata, quæ cum etiam principia & elementa vocétur propter virtutis diuerſitatem & conſiſtentiam; conſtat non quidem principaliter, analogicè tamé, & ἑπομένως etiam elementa ſpectari à chymico. Hinc diſcimus operationé circa elementorum ſeparationem non diſtare à reſolutione in aquã, oleum & ſalem. Sequuntur humores triplices. De his ait idem autor quod ſimiliter poſſint reſolui. Verum cum nondú ſint ita perfectè excocti, ſicut partes ſolidæ: ſunt enim harú gratia, & ad harú naturam tendunt, niſi forte excipere ὀπὸν velis, qui tamen, ſi pinguedini & adipi reſpondet, non poteſt eximi nutrimentorú claſſe: Ideo minus elaboratas eſſentias præbebút; & hic quidem etiam non ſine diſcretione. Chylus enim crudior eſt chymo, & hic non ita coctus, ſicut ὀπός. Vnde patet optimam vim expectandam eſſe ex ſolidis; proximam ex opo, tertiam è chymo, vltimam e chylo. Quod ſpiritus attinet, quoniam à chymico non petuntur in ſua forma: neque enim

nim ita veniunt commodè tum ad elaboratione͂, tum ad vſum; ſed liquidæ conſiſtentiæ vultu, eoque duplici, vaporoſo ſcilicet & halituoſo; illum aquis annumerem; hunc oleis. Quoniam autem etiam in apparatu extractioneque non ſegregantur aut ſeorſim exeunt humores, ſed cum parte ſolida magna ex parte cõiuncti, niſi quod elementarem aquoſitatem vaporoſamque interdum ante opus detrahimus exiccando: prꝫter tres illas ſubſtantias, aquam ſcilicet, oleum & ſale͂, conſtituenda eſt quarta, quam aliqui extractum vocant, omnem rei vim continens, quandoquide͂ & ſalis plurimum & aquæ & olei adhuc commiſta & naturali craſi donata, ſecum vehit, & ſic ab eſſentia totaque natura non diſtat, niſi quod hæc eſt ſubtilior & multiplici induſtria magis elaborata, vt quintam naturam referat ſui & nobilitate & perpetuitate; extractum vero corpulentius, craſſiusque eſt. Quinario itaque iam numero ex his principiis omnis chymicæ elaborationis comprehendetur ratio, quod quidem attinet finem artis principalem. Nam quæ miniſtrant his, vt menſtrua, lixiuia & ſimilia, obiter accedunt; & ſic aqua, oleum, ſal, eſſentia, & extractum chymicam abſoluent diſciplinam. Oſtendit idem etiam vſus. Nam aqua inſeruiet omnibus, in quibus abluendum eſt, deterge͂dum, humectandum, refrigerandum. Oleum,

quia

quia duplicis naturæ eſt aëreæ & igneæ; adhiberi poterit ad penetrandum, reſoluendum, calefaciendum, ſiccandum, humectandum & reliqua; quin & aduerſabitur putredini id quod igneum eſt; & cum balſamus rei ſit; ſimul roborabit tota natura. Sed hoc præſtabit melius eſſentia. Extractum nutritioni inſeruiet, ſi eſt ex nutrientibus; purgationi & aliis medicationibus ſi expurgantibus. Sal roborat vnitq; partes, humiditates abſumit, incidit & alia peragit, ſecundum naturam eius ex quo eſt factus quam ſeruant item reliqua. Nihil enim ita mutatur, vt nihil priſtinæ naturæ redoleat. An non ergo pulchram nobis viam monſtrauit Zvingeriana induſtria? Sed non deſunt quæ opponi poſſint. Chymici enim longè plura ex rebus comparant. Primum namque elixiria componunt non minori induſtria, nec vſu vilipendendo. Sed huic obiecto occurri facile poteſt. Nam cum elixiria apud artifices præſtantiores compoſitione eſſentiarum fiant; Zvingerus autem hanc non prohibuerit, ſed liberum reliquerit ius componendi; non excluſerit hæc ſed incluſa comprehenderit. Deinde conſtat in chymia, multa fieri per modum tincturarum, & exaltationum. Nam integra quædam ſaltem foris expurgata efficacibus immutant tinguntque eſſentiis, itaque elabo-

rant vt non inferiore ſint ab optimis cenſu, quo pacto metalla tranſmutant, & variè colorant vt pro præſtantiſſimis veneant. Quædam gradu exaltantur purificanturque citra reſolutionem, vt ſales, &c. Ab aliquibus ſaltem abſtrahunt colorem, vocantque tincturas veras. Inſuper pulueres concinnant, & Turbith; & tota mineralium claſſis neutiquam videtur, attracta à Zvingero eſſe, vtpote cuius διάνοια ſe non extendit vltrà vegetalia & animalia, neque fieri communis poteſt, cum in mineralibus nec chylus nec chymus ſit nec ὀπός. Vbi calces, vbi ſpiritus, & aquæ fortes minerales? Vbi Mercurii? Aurum poculentum quam celebre eſt in chymia. Hoc claſſi prædictæ non conſentit. Omitto magiſteria, arcana, ens primum, primam materiam, quorum nihil memoratur à Zvingero. An itaque adiiciendum quid eſt deſcriptioni ſuperiori? Quid ſi analogicè mineralia accommodaremus vegetalibus? ſal quidem vtrobique conuenit, vt & aqua, niſi quod natura generis ſeruetur. Calx & turbith pulueresque ſint vel eſſentiæ vel extracta forma ſicca puluereaque repræſentata. Nam non latet vario vultu donari poſſe rem eandem. An dicendum eſt quod ſint non vltimi fines, ſed diſpoſita ad eum materia? Nam reſolui in liquores poſſunt. Spiritus congruunt aquis vel oleis. Tinctu-

tæ ratione ſaltem ita vocantur. Arcana, magiſteria & reliqua iudicem eſſe otioſa nomina paracelſicæ ſuperſtitionis, quanquam ab aliqua paſſione, aut communitate diſciplinæ item conficta ſint quædam. Sed de his deliberandum vberius eſt. Si non ſufficit Zvingeriana διαχωρὴ; non tamen eſt ἀπροσδιόνυσος. Tu viue & vale.

EPIST. XXX. DE TINCTVRIS.

AD VIRVM PRAESTANTEM D. Felicem Platerum, Phil. & Archiat. Baſil.

MVLTA tincturarum alchymicarum apud philoſophum inueniri argumenta, præſertim autem earum quæ ad rem metallicam, in qua primitus fuiſſe artificium Hermetica diſciplina & commentaria Gebri teſtantur, ſpectant, neminem latere puto niſi qui in operibus philoſophi non admodum eſt verſatus. In fine tertii meteororum meminit ὀρυκτῶν, quorum quædam ſint κονία κεχρωματισμένη, qualis eſt ochra, ſandaraca, minium, & ex puluere facta cinabaris: ex quibus verbis elici etiam Græcum tincturæ nomen poteſt quaſi χρωματισμὸς vocanda eſſet. Artificioſius vero attingit in fine primi de ortu, vbi de ſtanno (καττιτέρου) diſſerit quod πρὸς τὸν χαλκὸν ἐπαμφοτερίζει καὶ ψελλίζεται, apparente ære tanquam materia ſuſceptiua; ſtanno vero

tanquam forma. ὁ γὰρ καττίτερος (inquit) ὡς πάθος ὢν ἄνευ ὕλης τοῦ χαλκοῦ σχεδὸν ἀφανίζεται καὶ μιχθεὶς ἀπεισχρωματίσας μόνον. Ita in mirabilibus meminit æris Indici adeo lucidi, puri & rubigine carentis, vt colore diſtare ab auro percipi nequiuerit: & inuentos plures in Darii poculis cados, qui non alio pacto quam odore ænei ſint an aurei cognoſci potuerint. Qui illum librum eſt interpretatus, chalybibus attribuit ſophiſticas metallorum tincturas. Ita enim refert: chalybes in inſula quadam parua aurum ex pluribus rebus componere inquiunt, qua de cauſa & in metallis id refundunt, vt emptores decipiant. Sed Ariſtoteleus textus non vult iſtud. Nam ita habet: φασὶ δὲ καὶ τοὺς χάλυβας ἔν τινι ὑπερκειμένῳ αὐτοῖς νησιδίῳ τὸ χρυσίον συμφορεῖσθαι περὶ πλειόνων. διὸ καὶ ἐν τοῖς μετάλλοις ἀναχρίζουσιν, ὡς ἔοικεν. Hoc tu iudicabis. Illa certè hiſtoria chymicum aurificium manifeſtè comprobat, quemadmodum & poculum. Esdræ quod fertur è Babylonia Hieroſolymam deportaſſe. Hoc ſaltem intereſt, quod veteres videantur fuiſſe in confeſſione veritatis candidiores plæriſque chymicis qui pro ipſo auro talem tincturam habent, cum æris natura non planè ſit abolita. In eodem libello deſcribitur etiam æs moſcynicum non commiſtione ſtanni factum, ſed terræ quæ cum

co

co vel naſcitur vel decoquitur; vnde euadat ludiciſſimum candidiſſimumque. Addit autorem temperamenti, qui proculdubio chymicus fuit, ſi quidem chymia ab initio eiuſmodi tincturas eſt profeſſa; neminem docuiſſe artem, vnde eueneri ſuo tempore ærea vaſa eius regionis minus præſtantia fuiſſe ſuperioribus. Notandum inde videtur; quod eiuſmodi tinctura etiam naturæ fiat ingenio, ſicut de orichalco foſſili referunt quam imitata poſtea ars etiam ſuo motu ſimile temperamentum confecerit, quo pacto vſitatè quatuor centuſſibus æris miſta vna centuſſe cadmiæ citrinæ, aurichalcum fit artificioſum. Secundum iſtam Ariſtotelicam ſententiam etiamnum hodie chymici elixin ſuum tincturam appellant. Cui itaque dubium eſſe, Felix honorande, poteſt, quin de tincturis ſeparatim ſit præcipiendum in chymia, cum certum ſit eas ſubſtantiam in ea arte habuiſſe longè ante Alexandri Magni tempora. Sed nec in metallicis ſeu mineralibus tantum illæ locum habent. Vt progreſſum ad humana corpora, vel omnino animata in reliquis eſt, ita & in tincturis. Itaque chymiatri tincturas etiam eſſentias nominant chymicas, quæ alterandis corporibus humanis adhibentur ſiue vt confortentur, ſiue dyſcraſias amittant & renouentur,

S 3 quo

quo pacto loqui conſueuerunt. Itaque non tantum alia erit naturalis alia artificialis; ſed & quędam metallica, quędam animalis. Paracelſus pro ſua audacia etiam tunc tincturam nominat, cum medicina nõ tollit morbum, ſed colore inducit membrũ ægrotans, vt ſano videatur ſimile. Hęc quid diſtat à pigmentaria? Nõ quidẽ negem tincturæ amplitudine vel quamuis colorationem compreh ẽdi, adeo vt Indi ſua corpora pingẽtes, & fullones pannos imbuentes colorib. tingere dicantur, ſicut & fœminæ colorẽ alienum faciei illinentes: veruntamen chymicæ illæ non ſunt, ſicut neq; medicæ, quãquam in coſmetica aliquid de illis dici ſoleat. Idem autor vult etiam tunc tingi corpus, cum hydropis cauſa nõ eiicitur ex corpore, ſed mutatur in ſalubritatem. An non rideas hominem? Qui poteſt illa ita mutari abſq; abolitione? Videtur palliatiuam curam velle notare. Sed hæc longe diuerſa eſt, cum cauſam non ita mutet, ſed ſaltem actum effectumque eius compeſcat & diſſimulet. Quanquam autem ita deliret; tamen interdũ cum artificibus loquitur, appellando tincturam quamuis eſſentiam chymicam quę cum colore natiuo rei eſt, & efficaces in medendo obtinet virtutes, quales prædicãt de tinctura auri, antimonii, croci, roſarũ & ſimilium. Meminiſſe autem oportet quaſdã ſimplices eſſe, quaſdam cõpoſitas. Vtraq; rurſum eſt

aut

aut ex integris (Nam inueniuntur etiam integra quæ tota ſunt tincturæ) aut extractis. Extrahútur vero vel quę actu in rebus ſunt, vt ex croco roſis & ſimilibus, vel quæ prius vi igniũ ex potentia in actũ ſunt productæ, vt in antimonio, margaritis & ſimilib. Hoc modo etiam tota integra abeunt in tincturam ſicut aurũ crebrius cæmentando ſummam acquirit rubedinem, qua tingere argétum poteſt. Eſt & quædam fixa, quædam fugax. Fixa tinctura ex auro fixo paratur, potiſſimumq; valet in mercurio. Non fixa vulgaris eſt rerum fugacium cómiſtio, quanquam altera conſtantior eſt altera. Paracelſus crocũ & ſulphur habet in cenſu naturaliũ integrarũ. Sed fallit. Nã ex his ſeparari tincturã relicto corpore certũ eſt. Extrahunt tincturæ interuẽtu menſtrui alicuius vt ſpiritus vini, aceti, aquę fortis, lixiuii, aquę & aliorũ, ita tamen vt rei compages prius ſit domita, quo poſſit reddere colorẽ. Sulphuris colorem negãt extrahi poſſe niſi arcano tartari. Quędã exeũt cũ ꝓprio ſucco vt purpuræ ſanguis, violarũ & aliorũ colores. Abſtracta aquoſitate inſpiſſantur. Illorum ſententia, qui putant colores ſeorſim ſine aliquo corpore exire poſſe, aut explicanda eſt aut explodenda. Quaſdam autem exaltari poſſe antequam educantur non eſt ignotũ, veluti in præſilio cui adiicitur alumẽ. Vbi in tenui hæret ſpiritu, magna requiritur at-

tentio,& ſingulariter electus liquor,ni cum ſuo ſucco exprimatur. Eiuſmodi tincturæ etiam ſtudioſe ſunt aſſeruandæ. Exoleſcunt enim ad aërem. Quædam ignem non ferunt. Quædam ſtatim deponuntur, adeo vt etiam in tranſcurſu aqua coloretur, quod euenit etiam in deſtillationibus, vbi flores alembico imponunt crebroque mutant,& aquam eliciunt cum colore floris. Alii tincturas allinunt roſtris. Sed non addo plura. Inclino in hanc ſententiam, quod tinctura chymica ſit eſſentia ſuo colore affecta: quod ſi tibi quoque videbitur, confirmabor. Vale.

EPIST. XXXI. DE VENtriculo Struthionis & aſtro chymico.

AD EXCELLENTEM PHIL. ET MED. Felicem Platerum Profeſſ. Acad. Baſileenſis.

NON eſſe ſimplicem calorẽ qui in ventriculis animalium cibos terit, ſoluit, coquitque & immutat, ſed craſi & proprietati totius ſubſtantiæ coniunctum, ex euidentia operationis naturalis in ipſis eſt manifeſtum. Leones canesq; aliqui oſſa comminuunt & in ſuccum vertunt: ſerpentibus dictum eſt: TERRA veſceris, arena creduntur victitare conchylia quædam: Gallinæ aliæq; aues lapillos atterunt etiam ipſis oculis

oculis cũ admiratione intuentibus extractũ è ventre lapillũ ſemiabſumptum: mures rodunt ferrum: formicæ Indicæ aurum in cibum comportant: inuenta & aurea moneta eſt, quæ cum aliquandiu in humano ventriculo & inteſtinis latuiſſet, in valde tenuẽ lamellam ſigno extrito abiit: Struthionem penè ipſam vincere admirationem fama eſt. Tradunt enim aliqui non aurea tantum & argentea hunc deglutire & concoquere, (quanquam aliqui eludant obſeruationem) ſed & ferrea & lapidea. Hæc quinam ignis elementaris pręſtare queat? A quonam vnquam abſumpta digeſtaque terra eſt? Non abſque re itaque chymici id quo metalla edomantur, voranturque & digeruntur ita vt in ſuccum partim abeant, partim cineres, ventriculo ſtruthij adæquarunt, ſumtamq; inde appellationem huic tribuerunt. Eſt id non aqua cauſtica, quam fortem appellant; non ſpiritus acer, nec flamma vulgaris, ſed ignis gehennæ, qui nulla re domitum aurũ, omnique flamma naturali ſuperius adeo vincit, ſoluit & mutat, vt de tota ſui decedat natura, inq; principia redeat, ex quibus eſt procreatum. Opinantur aliqui ſpiritum ſalis tartarei, cuius ope per aquam viuam mineralem, in hydrargyron mutatur aurum & argentum, ita appellari. Sed quia hinc non prodit ſeminarium principium, & nutritiuum; non conſentit cum re ipſa. Venter

Ariſt. in mirab.

In Cypro dicunt metæ ferrum comedere.

ſtruthionis eſt mercurius philoſophorum ex crudo fabrefactus, quanquam & corporum mercurius mineralis ita ſoleat appellari. Sed is principaliter notatur, & addita determinatione, qui in terra creſcit, ſolet diſtingui. Non negem athannorem ſeu furnum arcanorum etiam iſto vocabulo deſignari; ſed is non eſt ſine hydrargyro philoſophico. Quid tu hîc Platere? Acúne rem tango? Nitor coniecturis non friuolis. Veruntamen ſi tibi erudiendus videor, non ægrè ferã. Ita de aſtro chymico ſententia mea eſt, quod nihil ſit aliud quam eſſentia cuiuſque rei extracta & cœlica puritate efficaciaque, quantum conceſſum eſt rei elementari, imbuta. Vnde aſtrale, quicquid aſtrorum naturam imitatur eum in modum elaboratum. Non deſunt qui in omni elementari aliquid de ipſa cœli ſubſtantia ineſſe dicunt. Hoc cum ſeparatur ab elementis, non imitatione ſed natura propria cœleſte eſſe volunt, argumento quod Plato in lucentibus cœleſtem agnouerit igniculum. Sed ego de his quod pro certo affirmem nõ habeo. Tibi ſi quid eſt explorati, quæſo ne me cæles. Valetudinem cura diligenter.

EPIST.

EPIST. XXXII. DE AQVA PARACELSICA' IMMATVRA, lilio & lapide philoſ.

AD D. FELICEM PLATERVM PHIL. & Med. Baſileenſem.

NVLLVM autorem tam malum putabat Plinius, quin ex eo aliquid boni ſucci poſſit exugi. Perniciofus ſcriptor eſt Paracellus: ſed in his quę confinxit, mutauitq́; ipſe. Quæ ex veterũ doctrina hauſit; ea aliquãdo ſyncerius, quaſi ipſa neceſſitate tractus ac voluiſſe credit', exponit. Itaq; libros eius nõ plane putauerim inutiles eſſe. In eorũ vno ſcriptũ eſt. In minerali lapidis inueniũtur tres ſubſtãtię ſeu naturæ mercurius, ſulphur, & aqua mineralis per quæ eſt à natura compoſitum. Soluitur autem chymia per ſuum ipſius ſuccum ſeu aquam, quę nõdũ maturuit in viſcere terrę in quo occultatur, & accedentibus aſtris cœli ad naturam martio ꝓdit & ſucceſſiuè matureſcit. Quid quæſo his deſignat verbis? vidẽtur antiquitatis eſſe. Niſi fallor, aurum minerale vocat; ſuccũ proprium, hydrargyrũ philoſophicũ, qui, cũ in terra eſt, crudus eſt & occultus. At cũ ſublimatione chymica educitur, & para ſtra, hoc eſt, eſſentias chymicas purgatur, ꝓdit calore fœcũdo qualis eſt martij, & coctione philoſophica ad maturitatẽ ꝓducitur. Sed quid liliũ? De hoc par dubitandi eſt

cauſa. Paracelſus nuncupat ita materiam tincturæ philoſophicæ. Aliis eſt ipſa tinctura & lapis. Dornæus cum deſcripſit tincturam antimonij, addit, eſſe altiſſimã Lili præparationem, quod mihi ambiguè dictum videtur, cum poſſis intelligere, proceſſum iſtum cõſentire cum præparatione Lili veri, vel ipſam tincturã ſtibij eſſe lilium. Quid ſi lilium non eſſet lapis perfectus ſed ſaltem id quod à prima exit operatione, quo vtuntur ad medicandum morbis? Foret ſanè infans natus ex coniugio maris & fœminæ in mercurio crudo, qui nondum maturuit in terra, ſeu nondum in metallum coaluit, quique præparatione ſua tranſit in mercurium philoſophorum. Foret & ſerpens, qui propriam deuorauit caudam; & puer ſuo nutritus lacte, quod & virgineum nominatur. Lapis autem elixio dicitur ob eſſentiarum trium compoſitionem, quarum natura maximè eſt amica. Interdum nominatur aqua permanens in praxi tertia, vbi nõ amplius metuit pœnas ignis. Tinctura dicitur, cum iam ad tingendum eſt aptus. Omnino videntur præter rem multiplicari res chymicæ. Breuitati ſtudendum eſt in artibus, & quorum vnum eſt artificium, aut quæ vno commodè fieri poſſunt; non ſunt temerè diuellenda. Itaque lilium & lapidem inter eſſentias haberem à ſuis ſordibus liberatam illam; hanc etiam exaltatam, & compoſi-

tione

tione in elixirium claſſem admiſſam. Tibi quid videatur, vbi libitum fuerit, aperies, Vale.

EPIST. XXXIII. DE VITRIS CHYMICIS, CLISSO, acida muria, regulo, lixiuiis, &c.

AD MAGNIF. D. FELICEM PLATERUM, Archiatrum Baſileenſem.

VERSANTI mihi nuper in ſcripto quodá chymico variarum rerũ ſpagyricarũ tum virtutes eximiè prædicante, tum praxes operationesque docente, occurrit mirificum admodum ſpiritus ſalſi encomium, vt & vitriolati. Dicit autor nullum eſſe morbum, & ne cogitari quidem poſſe vllum, cui non ſit exigendo, adeo vt eo ſalis ſpiritu quo corroſum ſit & potabile factum aurũ, ab agone reuocati ſint quidam domitique morti vicini morbi. Non immerito mirari ſubiit, cur tanta nobis arcanorum, eſſentiarum, magiſteriorum, entiũ & aliorum obtrudatur copia, cum vnius ſpagyricæ eſſentiæ tanta dicatur eſſe virtus. Ars non conſiſtit in ſuperflua rerum multitudine, ſed in his quæ ad operis integritatem ſunt neceſſaria. Cogitaui itaque an non cliſſus, vitra chymica, acida muria, regulus, lixiuia ſeu capitella, vt vocant, ſint exterminanda, & vel in præparatoriis ſaltem habenda, vel ad

capita

capita arteſq; genuinas reducenda, remit-
Cliſſus. tendaq;. Cliſſum deſcribunt, q; ſit cõmiſtio diuerſarum eſſentiarũ ex diuerſis vnius plátæ partibus, quarũ quæq; ſit ſuæ perfectionis tempore collecta, purgata, digeſta, & in eſſentiam redacta, extractarum; veluti cum ex vna oleum, ex altera ſal, ex tertia aqua, & ſic deinceps facta ſunt; ea coniunguntur ad ignem modicum, vniunturq; vel formâ liquoris, vel pulueris, idq; vel ſemel diuerſis cucurbitis vno alẽbico cõcluſis, deſtillationeq; facta; vel ordine quodam, more imbibitionum. Non abſurda eſt hæc congeries. Refert enim lapidis philoſophici cõfectionem, & veras rerũ eſſentias omni ſua virtute inſtructas. Imitatur etiã elixiria, quæ nobilis efficaciæ eſſe nullus ignorat ſpagirus. An ergo peculiare quoddam artis caput eſt cliſſus? Ego eſſentiis vel elixiriis aggrega-
Vitrum ſtibii. rem. Inter chymica vitra maximè vſitatum eſt, quod è ſtibio conflatur, quod tamen differentis eſt virtutis. Quoddam purgat validiſſimè. Quoddam paulò mitius, vt Ranzouianum. Quoddam ſudorem ſaltem mouet; quoddam planè nihil fatigat corpus. Poteſt & hoc referri ad aliquod ex ſuperioribus. Aiunt arcana in vitris eſſe. Referantur ergo ad eſſentias, vel turbith, niſi mauis annumerare his, quæ chymum purgantium proportione referunt. At operatio ſeu χειρουργία diſcreta eſt. Poterimus

rimus eſſentiarum ſpeciebus, quæ diſſentiente fiunt modo, aſſeribere. Sed quid *Scoriæ ſtibij.* tunc de ſcoriis ſeu recrementis antimonij fiet? Ita enim nominant vulgo ob ſimilitudinem quandam Regulum corruptum. Num chymica eſſentia etiam eſt in recrementis? Atqui fugiunt artifices hæc cane peius & angue. Repræſentant ſcoriæ vitrorum naturam. Dicemúsne illas quidem per ſe eſſe reiectaneas; at quia aliquid eſſentiæ continent, in precio haberi tanquam magiſteria, donec id ſit extractum? Et certè ex Reguli corruptione o- *Sal ſtibij aurum medicorum.* ritur tum ſal antimonij, quod aurum medicorum vocant, tum oleum valde præſtans. Multa fiunt inter vias ad finem, quæ partim purgata ſunt, partim impuriora manent. His vtuntur interdum etiam ſolis. Itaque non quidem habenda fuerint inter opera præcipua; ſed tamen nec omnino abiicienda. Verum aliud oboritur dubium. Si vitrum & ſcoriæ vitratæ ſint eo ponenda loco, conqueretur puriſſima antimonij glacies, Carneo- *Puriſſima ſtibij glacies.* lus, Rubinus, &c. ſe præcipitatam ſuæ dignitatis faſtigio. Ita enim eſſentiarum titulo excidet. Quid etiam reſpondebimus Paracelſicis, qui per magiſteria res totas vertunt in magiſteria, & ſtercora quoque ita expurgant, vt tota fiant eſſentia? Ita ex ſalibus, vitriolo & aliis pene nihil inter-

Ærugo. interdum abiiciunt. Æruginem aſſerunt eſſe magiſterium Veneris : & ita de aliis. An concedendum eſſentias non planè immutabiles, incorruptibilesque eſſe, licet id gloriētur fanatici quidā; ſed in ſe tranſmutari? *Eſſentia mutabiles.* Concedendum etiam non omnia per naturam dari impura; & quædam ab arte non meliora, ſed deteriora reddi, itaq; relinqui ſibi oportere, ſaltem alienis foris adhærentibus reiectis? Certè videntur vitra & ſcoriæ arti maculam quandam aſpergere velle, ni eas recipiamus ſede quadam excellēte, qualis eſt magiſterium dictum. *Regulus.* Regulus ſpeciatim exit ex antimonio, quanquam metallici excoctores ſuum quoddam argenti ſatis depurati indicium eodem vocent nomine. Vulgares officinæ pro marcaſita vendunt. *Stella.* Aliquoties liquatus abit in ſtellam, eodem plane vultu, quem exprimunt pictores, & ſtatuarij, cum radiis diſtentis. Plurima ei tribuunt arcana, adeo vt inde prolicitum puluerem, aurum medicorum appellent, ſicut ante monui. Quid de hoc ſentiendum? Nū reſeruandus, an ad liquatoriam ablegandus? Mihi videtur materia eſſentiæ chymicæ eſſe potius, quam eſſentia, perinde vt & de ſcoriis iudicaui. *Oxalme. Lixiuia.* Acida muria, & lixiuia miniſtrant operationibus chymicis. Fit autem illa ex aqua, aceto, & ſale : aut etiam ex ſale & aceto tantum, qua miſtura vtuntur ad mercurium nigredine ſua expendum, vt videre

videre eſt apud Lullium, Vlſtadium & alios, & ipſe verum expertus ſum. Sed non eſt excedendus epiſtolæ modus. Iudicium tuum etiam hîc expecto. Vale.

EPIST. XXXIIII. DE AVRO VITÆ, REALGARE, SANguine lacertæ, xenechdo, lacte virginis, & aliis.

AD MAGNIF. D. FELICEM PLATErum, Archiatrum Baſileenſem.

INEXHAVSTVS eſt theſaurus chymia. Subinde aliquid oritur noui, & quantum didiceris, ſemper aliquid diſcendum reſtat. Concinnant artifices vitæ aurum, aurum potabile, ſanguinem lacertæ, Realgar, xenechdon, lac virginis, riſum galli, laudanum opiatum, & neſcio quæ alia. Si omnia in artem ſint aſſumenda, vltra Caucaſi magnitudinem creſcet. Tuo acumine mirificè delector. Apud te effundo mea cogitata. Tu delectum facies. Aurum vitæ non primariá chymiæ partem aſſero, ſed opus quoddam, quod ex chymicis exiſtit ad vſum nẽpe certum deſtinatum. Referri poteſt ad elixiria ſicca, vel turbith cõpoſita. Fit enim ex turbith minerali edulcorato & auri ſubtiliſſimo puluere ex amalgamate producto & ab igni purpureo puniceóve colore donato, poſtq; miſto illi. Si omnes tales miſturæ pe- *Aurum Vitæ.*

liare membrum artis cõſtituant: negem artem vnquam conformari compleriq; poſſe. Sunt enim compoſitiones eiuſmodi, vt plurimum non neceſſitatis, ſed arbitrij, quod in infinitum ſe extendit. Sanguis lacertæ oleum vel liquor vitrioli rubeus eſt. Miniſtrat eſſentiis chymicis, perinde vt aqua fortis ſeu regia. Illa enim præcipitatur mercurius, vt fiat Turbith. Illâ ſoluitur aurum, & quædam cõparantur alia. Elicitur ex illo etiam ſpiritus vitrioli acidus & dulcis cũ phlegmate. Itaq; etiam materię rationẽ obtinet. Realgar; inquit Dornęus, fumus mineraliũ eſt; qui concreſcit excipiturq; non rarò, vt in metallinis ſpodium, pompholyx; itẽ flos antimonii. Realgar fixum nominant miſturam ex auripigmento & ſale petræ non amplius ebullientem in igni. Materia eſt olei arſenici, quod nuncupatur etiam balſamus & butyrum arſenici, licet aliâs etiam oblitterato vocabulo arſenici ſubſtituant vocem. Solis, vocantes butyrum ſolis, oleum compoſitum ex oleo arſenici, ol. Hydrargyri, vitellorum & aliis; tunc tamen, niſi fallor, non arſenicum ſed auripigmentum intelligentes. Non probo tales mutationes. Sunt enim tegumentum maliciæ & impoſturæ, qua pro auro venditur auripigmentum. Et aurũ medicorum dicitur, quod ne gry quidẽ auri obtinet, quomodo ſuperiorib. temporibus, viuente Eraſto, eueniſſe, ex ſcriptis

Sanguis lacertæ.

Vitrioli ſpiritus.

Realgar.

Realgar fixum.

Butyrum ſolis.

eius notum eſt. Eſto ergo realgar arſenicale quiddam. Referri cum butyro ad eſſentias poteſt; ſiue olei, ſiue pulueris, aut florũ fiat forma. Vbi componitur; compoſitorum claſſi ſubiũgetur. Quidam Italus putat, Paracelſo realgar etiam dictum eſſe mercuriũ ſublimatum certo artificio. Fides eſto penes ipſum. Xenechdon peculiaris cõpoſitio Paracelſi eſt. Fit ex venenis, vt & riſa galli, quãquam adiiciant alexiteria quædam, & interdum eſſentias. Cum integrum ſit: ad ſpagyricas ἐπεχίας non pertinebit. Negãt autem chymici ſuam artem relinquere venena; quia hæc ſint heterogenea, & ſeparabilia ab eſſentiis. Atqui ens veneni admittũt? Scrupulus hinc orietur non paruus. Si venenum quoddam eſt ſubſtantiale, quod habet ſuam formam in materia, & ens proprium; certè non erit accidens, nec relatum quid. Si etiam ſubſtantia, chymici interdum nõ eſſentias & ſpecificas proprietates venabuntur: ſed neglectis illis, retinebunt cortices, vt loquuntur, veluti in arſenico; quod ſi venenum natura ſua eſt; butyrum & oleum eius aut venena erunt, aut non eſſentiæ arſenicales. Verum vtvt ſe res habet, certum eſt, Paracelſi xenechdon eſſe venenum, foris applicandum in peſte, quo magis miror Aſſyluani ſtupiditatem, qui ſcripſit, ſpiritum vitæ à foris adhibito veneno tam affici, quã ab aſſumto. Sed hæc faceſſant. Laudanum

Laudanum opiatum. opiatum compoſitionem quandam eſſe nõ eſt obſcurum. Itaque titulo compoſitorum accenſeatur, nec habeatur pro peculiari capite chymicæ artis. Lac virginis ex lithargyro ſoluto aceto, vel lixiuio, aut alio liquore aluminoſo & ſalſo concinnant. Nihil hîc video chymicum. Nam lithargyri totum corpus abit in ceruſſam. Eiuſmodi lac fit etiam ex aqua & menſtruo turbith mineralis. Si enim aquæ forti, in qua ſolutus eſt hydrargyros, affundas fontanam: tota albicat, craſſeſſitque inſtar lactis. Colligunt inde artifices, in omnibus illis mercurialem ſubſtantiam eſſe, ex quibus tale lac conficitur, vt in ſtibio, in tartaro, & aliis. *Lac virginis philoſophorum.* Abſtruſius eſt lac virgineum in opere lapidis. Vocatur ita argentum viuum ſummè depuratum, in quo ſolutum eſt electrum, poſtquam iam caput corui eſt detractum. Illo lacte alitur recens natus infans, id eſt, ſulphur electri cum eo vnitur, & coagulat in lapidis formam. Eſt aliud alio nobilius. Nobiliſſimum eſt tertiæ operationis, quando iam bis coagulatus lapis reſoluitur, & iterum vnitur. Hoc nihil aliud eſt, quam partim menſtruum, partim eſſentia ex duplo mercurio facta. Itaque referatur ad ſua loca, nempe eſſentiarum certarum membra. Menſtruum enim eſt ratione & officio potius, quam natura & ſubſtantia, quæ eſſentiam lapidis ingreditur.

tur. Reuocat mihi iſtud lac in memoriam etiam rubedinem illam, quæ extrahitur ex ſtibio per lixiuium calcis tartareæ, & acetũ, lac citrinum diceres. Mentionẽ faciunt etiã angelici pulueris, & rubei Henrici, & præcipitati corallini, auri diaphoretici, aquæ volantis, rubeæ fixæ, citrinæ, & aliorum innumerorum. Angelicus puluis nomine diſtat à præcipitato; ſicut rubeus Henricus à colcotare, & lacerta rubea. Corallinum præcipitatum à colore punicei coralli ita nominatur, quem accipit cohophatione crebriore. Aqua volans accipitur de oleo mercuriali, vt & aqua citrina. Aqua rubea fixa, eſt præcipitatus corallinus. Diaphoreticum aurum interdum parum habet auri cum turbith ſit certo modo ad proliciendum ſudorem paratum. Interdum ita vocatur oleum ex linteis intra patellas aureas combuſtis factum. Interdum idem eſt ac aurum vitæ & oſtrutium minerale. Sed ſat prata biberunt. Tu vale, & loquacitati ignoſce.

Aqua volans.

Aurũ diaphoreticum.

Oſtrutium minerale.

EPIST. XXXV. DE SANGVINIBVS CHYMICIS, CROcis, galbaneto, cryſtallis, corallato, & theriaca minerali.

AD VIRVM MAGNIF. D. FELIcem Platerum, archiatrum Baſileenſem.

MOLESTIAM tibi ſæpius te compellando creare velle videri poteram, ſed obſtabit beneuolentia tua, quæ tanta eſt, vt etiamſi impudentis notam ſubirem, tamen obliterare & inducere eam poſſet, meque tibi ſatis purgare. Fiducia itaq; huius ſuperioribus addo quæ ſequuntur. Quæſitum ex me fuit, in artis informatione inſtituenda videri quidem non abſurdè multitudinem ad pauca redactam; ſed in illo numero non apparere locum croco chymico, ſanguini, galbaneto, corallato, theriacæ minerali, cryſtallis ſpagyricis, & ſimilibus; Vt verum fatear, copia me penè obtundit. Crocus eſt id, quod effloreſcit ex ſuperficie metallorum, vbi conſperſa fuerint liquoribus vel ſpiritibus acutis: veluti: acetum & ſalſugo, quin & ignis, crocum Martis elicit, totumque ferrum in croceum puluerem mutare poteſt. Acetum euocat ex ære æruginem, quam inter magiſteria collocant. Ex auro quoque paulo impuriore aliquid

Crocus.

liquid efflorescit, vt & ex argento lazurinus color. Noſter Rulandus in vſu habet medicamentum quoddam, quod crocum metallarem vocat. Sed hoc, opinor, crocus talis non eſt. Nec ſubſiſtitur in crocis eiuſmodi. Itaque non planè erunt eſſentiæ. Mutantur in aquas, olea, & alia. Quin cum eſſentia per ſe reſtet in illis, (niſi cum ferrum totum per aquam fortem aut ignem; vel cuprum per acetum & aquam fortem abſumitur in crocum) videntur potius impuritates & vitia quædam eſſe, quam eſſentiæ. Si tincturæ ſtabilem haberent ſeparatamque ab aliis claſſem, cum vſurpentur non raro ad tingendum, in tincturis ponerem. Omnino tandem huc applico, vt reponam in materiis chymicis ad eſſentias faciendas præparatis, quo pacto & alias efflorescentias, veluti ſunt ſalſugo, mumia capitum ſuſpenſorum, & ſimilia. Abſurdum enim foret lepram & ſcabiem metallorum pro ſpagyrica eſſentia vendere. Si tamen depurantur ad ſummum; dem illis locum non inuitus. Qui pro excellentiſſimis arcanis, ſolius naturæ ingenio productis talia habent, videant ne nimis generaliter loquendo decipiantur. E ſuccino excreſcit ſubtilis quædam ſubſtantia, perinde vt & ex venis metallicis nobile interdum extat metallum, cerniturque aurum more

crinium, aut ſubtiliſſimæ lanuginis, aut alcool aſſiſtere ſuæ venæ. Sal anatron, petræ, nitrum, etiam eodem modo efflorescunt. Pro magiſterio habetur ſal vrinæ, qui tranſſudat fictilia. Sed ſi omnia talia pari ſunt habenda cenſu; vlcera terræ & arborum fungi, & vlcerum cruſtæ cum ſimilibus item extollantur. Diſcernendum eſt inter excrementa, quæ foras à centro à purgante ſe natura protruduntur. Et inter ea, quæ ex theſauris ſpirituum nobilium per ſublimationem naturalem exiſtunt. Si pura res eſt; eſſentiæ vim aſſequetur id quod effloruit, niſi quid coagulet ex impuro, vt fit in criſtallis & ſalibus, in lixiuiis, vrinis, aquis ſacharatis, vnde exit ſacharũ, quod Candi vocant, &c. Sin impura, adeo vt certis conſtet indiciis, id quod extremum eſt, lepram eſſe, fecibus & excremẽtis inutilibus accenſeatur. Fungi tamẽ potius peculiaris ſunt naturæ, & proprio naſcuntur principio, nõ egrediẽtes ex arborum ſubſtantia, quãquam illis vtantur pro matrice. Ita interdum in putrefactionibus vnà cũ calore exit humiditas ſpirituoſa, quæ conſiſtit, & generatione in rem aliam tranſmigrat. Hoc modo plantæ quædam fiunt, vt quam vocant epaticam, fungi & ſimilia. Merus mucor, qualis vino, cereuiſiæ, lacubus, & ſimilibus innatat, & in pane cõſpicitur, qui non conſtitit abiitq; in ſubſtantiam, manet in vitiis. Sed hęc alieniora ſunt.

Anatron. *ἀπανθίσματα quando eſſentia, & quando impuritates.* *Fungi.*

Sanguis,

Sanguis, liquor aqueus rubicundus eſt, putrefactionibus chymicis & deſtillationibus, licet quædam non egeant putrefactione, extractus. Ita ſanguis hydræ ex vitriolo eſt. Sanguis ſatyrii, ſanguis panis viniq́ue &c. conciliantur, ex rebus ſuis. Additur tamen panis tam ſatyrio, quam ſymphyti radici. Debetur itaque potius pani. Vocatur & oleum, & addito ſale proprio tranſit in eſſentiam. Itaque de his facile eſt iudicare. Nomen ex metaphora eſt. Galbanetum Andernacus vocat ex Galbano deſtillatam compoſitionem: corallatum liquor hydrargyri eſt inſtar tincturæ coraliorum rubeorum. Cum oleo hydrargyri iungi poteſt. Laudanũ mercuriale & Theriaca mineralis nihil eſt aliud apud Andernacum quam eſſentia mercurii ex oleo coagulato facta, miſtaq́ue Theriacæ, vel mithridatio. Referatur inter compoſita ex integro & eſſãto, vt quidam loquuntur. Cryſtalli nomen à natiuo accipiunt, ſuntq́ue ſolubiles omnes in humore copioſo: nam in pauco ſuo menſtruo concreſcunt etiam. Cum coagulat filtratus liquor ſacharinus, aluminoſus, vitriolatus, ſalſus, acidus, &c. Cryſtallos vel lapillos vocant. Aqua enim formatiuam quandam vim habet, ſicut apparet etiam in glacie vehementi frigore facta: Potius autem aqua mineralis, affecta certo modo, vt in ramentis metallicis vi-

Sanguis chymicus.

Laudanum mercuriale.

Cryſtalli.

dere eſt, modò turritim, modò ſtellatim, cubicè, pyramidaliter, anguloſè, rotundè, ſtriatim, foliatim, crinitè, animaliũ effigie, zonis, lineis, &c. concreſcentibus. Quidam cryſtalli nomen etiam mercurio, aqua forti præcipitato attribuunt. Qui de lapide conficiendo præcipiunt, fallunt lectorem mentione cryſtallorum, cum nulli tales lapilli in toto inueniantur opere. Intelligunt autem puritatem mercurii cryſtallinam, adeò vt tanquam in ſpeculo cryſtallino, quod retro oblitum eſt, faciem contemplari poſſis, qualem diſpoſitionem etiam cæleſtem nuncupant, iubentque mercurium facere Saphyrinum inſtar puri ætheris ſeu cœli reſplendentem. Sed de his ſatis. Si tibi meæ nugæ placent; non perditum oleum iudicabo. Vale.

Cryſtalli in Lapide.

EPIST. XXXVI. AN CHYMICI IGNORENT GALENICAS operas, quibus fiunt electuaria, ſyrupi, pilulæ, &c.

AD MAGNIFICVM D. FELICEM Platerum, Archiat. Baſileenſem.

Mirifice inſultant Galenicis Pharmacopoliis hi, qui ſe ſpagiricos nuncupant. Non ſunt ad ſaliuam iſtorum electuaria, pilulæ, zulapia, ſyrupi, opiata, confectiones, collyria, olea, emplaſtra, vnguenta,

ta, & quæcunque alia ex integris componi ſolent, aut rudi artificiô infuſionis & expreſſionis, vel etiam vſtulationis, lotionis, tuſionis & miſturarum comparari. Corticem cum nucleo; ſtercora cum medullis; venenum cum eſſentiis dari clamant. Ergone omne integrum à chymia exulat? Nihil infundi mandat, nihil in electuarium coniici? Nulla habet opiata, pilulas, clyſteres & reliqua. Mihi non videntur omnia ab illa eſſe aliena. Extracti enim ſucci, reſpondent electariis liquidis; olea oleis: Elixiria miſturis; ſucci & olea diluta cum liquoribus, quid aliud ſunt quam ſyrupi quidam & zulapia? Sed & in pilulas coniiciuntur extracta. Habent & opiatas ſuas, & theriacas, & pulueres; quin & vnguenta, emplaſtraq;. Num ergo chymicus præcipere debet de illis componendis? Neutiquam verò inquam. Pharmaceuticæ præparatoriæ generalis id eſt. Chymia ſpecialem habet præceptionem, maximeq; in ſeparationibus, depurationibus & virtutum exaltationibus hiſque confinibus occupatur. Medicus ad vſum commodum reſpiciens ſingula porrò miſcere iubet: certaſq; extruit formas. Non curat chymicus, in nodum coniicias eſſentias, an aliter deuores. Medicus ſolerter adhibet pro natura patientis, morbi, loci affecti, diſtantia, ſitu & reliquis. Habet tamen chymicum magiſterium *Extracta.*

rium

rium plærunque etiam formæ ad vtendum commoditatem adeò vt vna eſſentia modò facie pulueris, modò olei, modò ſalis, modò aquæ, &c. paretur. Vtatur pro libitu & rei neceſſitate, qui volet. Non eſt imperfecta hac in parte. Ad omnem induſtriam ſe præbet facilem. Diſcernendus eſt apparatus chymicus ab vtendi modo. Ita medicus diſtat à chymico. Ille vtitur pro renata integris & extractis. Hic ad integrum non contendit, ſed ab integro procedit ad extractum, aut exaltatum quam ſubtiliſſimo ingenio. Nec mera integra póſcunt curæ, nec mera extracta, ſi quidem ad commodiſſimã medicãdi rationem reſpicimus. Variæ circumſtantiæ medicum exercent, in quibus non poſtremas tenent ægrotantium fortunæ, & præſens conſtitutio rerum. Poſſunt autem quidam affectus tolli ſolis extractis, quidam etiam integris, licet non pari vtrobique facultate. Sed hæc nihil habent difficultatis. Qui explodũt Galenicorum pharmacopolia, hoc ipſo oſtendunt ſe à medica peritia eſſe alienos, & non tam chymiatros, quam mulomedicos & ciniflones. Laudo vero officinas vtraq; ſupellectile, quantum neceſſitas exigit, & locus fert, ſufficienter inſtructas. Viue valeq; felix, feliciſſime.

FINIS LIBRI PRIMI rerum chymicarum.

Errata.

Pag. 10. lin. 12. *veneficii.*
Pag. 24. lin. 1. εὕρηκα.

